

P. VERGILI MARONIS

OPERA

IN USUM SCHOLARUM

RECOGNOVIT

OTTO RIBBECK.

PRAEMISIT DE VITA ET SCRIPTIS POETAE
NARRATIONEM.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLXXII.



PRAEFATIO.

Bibliopolae honestissimi, qui praeter maiorem editionem vili pretio parabile exemplar rescensionis meae extare voluit, rationes magis quam meas in curando hoc libro secutus sum. qui cum scholarum potissimum eorumque hominum usui destinatus sit, qui criticae operae sarcinis non impediti carmina poetae ad fidem optimae memoriae emendata et in probabilem ordinem redacta legere legendoque gustare velint, textum proposui non prorsus eundem qui in maiore editione expressus est, sed et novis coniecturis, quas maximam partem in prolegomenis nuper defendi, aliquotiens mutatum et in orthographico genere partim ad nostri aevi consuetudinem quantum salva antiquitatis fide fieri poterat accommodatum, partim sicubi meliora dies docuerat reformatum. varias autem lectiones addidi nullas, qui nec meas ipse copias despoliare meum putaverim nec eorum consilium probem, qui frustulis nescio quibus suppellectilis criticae delibatis litterarum nostrarum studiis satis fieri posse sibi persuaserunt. nam sic animum induxi, nec omnium communem esse criticam artem nec exerceri cum fructu posse nisi pleno adhibito instrumento. ne recentioris quidem ullius exemplaris, velut Hirzeliani aut Weidmanniani, a nostro discrimina enotare aut aecum aut utile habebam: nam neque crumenae empturorum ut duos vel tres pro uno libro parare possint consulere placebat nec de diversa lectione recte iudicari potest nisi antiquorum testium memoria cognita. quam de maioribus Vergilii carminibus plenam exposui cum in editione maiore tum in prolegomenis criticis; de minoribus propediem accu-

rate testabor in editionis maioris volumine quinto, quo appendicem Vergilianam comprehendam, sed nova ne aut superbius sprevisse aut negligentius ignorasse videar, quae in nuperrima editione 'delectu' illa 'variae lectionis' instructa Ladevicus contulit ad emendandum textum haec expiscatus sum, quorum in meis commentariis mentio nondum facta sit. in ecl. VIII 11 coniecit *in te desinam*; ge. IV 244 spurium videre dubitanter significavit; 447 *me pro te* scribendum esse suspicatus est; Aen. I 8 Scioppii coniecturam *laesa* et III 579 sq. Meisteri *Aetna inposita* in textum recepit. ex quibus mihi tamen nihil probatur. quae autem in opusculorum textu vel adnotationibus propria viri docti sunt, hic ut cetera omnia sciens taceo.

Notis criticis, quales Valerius Probus Vergilio suo adposuit, vel ornandi vel onerandi hunc librum consilio abstinui, ne scrupulorum mole in medium coniecta absterre magis lectorum animos quam allicere viderer; quamquam prorsus illis carere non potui. nam notanda erant et quae secundis curis a poeta addita nec in ordinem satis bene inserta esse conicio et ad dittographias animus advertendus et expellenda erant interpolamenta. ergo quae ipsum poetam exemplari suo addidisse suspicor, stellulis * distinxi, ab aliis interpolata uncis [] inclusi, dittographias uncis stellula auctis * [] notavi.

Praemisi quam exoptaverat redemptor de vita et scriptis Vergilii commentationem, quam ut sua quadam dote etiam doctis hominibus commendarem testimoniorum antiquorum copia ut volui quidem integra instruxi. sed multa quae in prolegomenis nuperrime copiosius tractavi hic breviter adumbrare vel tangere satis habui; de minoribus carminibus quae Vergilii nomine feruntur propediem in appendicis prooemio disseram. artem vero et stilum, ingenium et doctrinam poetae digne laudandi atque enarrandi alium spero locum magis idoneum mox datum iri.

Indicem nominum Christianus Lütjohann Ploenensis confecit.

DE VITA ET SCRIPTIS P. VERGILII MARONIS NARRATIO.

De vita et scriptis Vergilii narraturis imprimis auctores nominandi sunt antiquissimi L. Varius (Quintil. X 3, 8) et C. Melissus, Maecenatis libertus (Donatus vitae p. 58 5 R.), et si qui alii 'amici familiaresque' '*de ingenio moribusque*' poetae commentati sunt (Gellius XVII 10: vide prolegg. mea critica p. 88 sq.). mox cum *obtrectatores*, maxime qui 'vitia' eius persecutus est *Herennius* (Donatus vitae p. 65, 21), calumniis memoriam optimi viri polluissent, Q. Asconius Pedianus extitit, qui quamquam viginti fere post mortem Vergilii natus (circa annum 756), tamen testibus usus optimis cum illis, quorum nomina supra memoravimus, tum aliis maioribus natu hominibus, qui vivum etiam poetam novissent sermonibusque qualis fuisset narrare solerent, libro *contra obtrectatores Vergilii* scripto et mores et artem eius ita defenderet, ut ne temporum quidem, quibus singula poemata elaborata editaque essent, notationes argumentorumque enarrationem neglegeret (vide prolegg. p. 89. 100 sqq.).

Novit autem Vergilium ab Ovidio (ex Ponto IV 16, 11 sq.) modice laudatus poeta epicus et elegiacus *Iulius Montanus*, cuius de suavissima illius voce dictum quoddam (in Donati vita p. 61, 6 R.) non dubito quin idem Seneca rhetor tradiderit, qui eiusdem Montani de Vergilianis versiculis quibusdam iudicium in controversiarum libro VII p. 195 B. commemoravit. tradidisse autem facile potest in deperdito aliquo harum ipsarum controversiarum libro¹⁾. praeterea videtur Asconius usus esse *Cornelii (Galli*, ni fallor, familiarissimi Vergilio poetae) vel carmine vel prosa ora-

¹⁾ Cf. quae de Aurelio Fusco Vergilii imitatore narrantur p. 20 sq. B. apud philosophum Senecam non recte quaesivit H. Hagen in adnot. ad Donati l. 1.

tione scripto quodam commentario, quo is aenigma ecl. III 106 propositum ipso Marone auctore explicaverit (vide prolegg. p. 97 sq. et H. Hagenum ad scholl. Bern. praefantem p. 712 sq.).

Ex ceteris poetae aequalibus C. Iulius Hyginus, Augusti libertus, qui doctos 'in Vergilium' (Gellius I 21) vel 'de Vergilio' (idem XVI 6, 14) commentarios fecit, numquid de vita quoque exposuerit nescimus, nisi forte illam de Nolae memoria in ge. II 225 oblitterata fabellam ad eius auctoritatem probabiliter rettulerunt homines docti (vide prolegg. 120 sq.).

Interpretum primus quantum scimus (nam de Cornuto et Aspro traditum nihil est) M. Valerius Probus vitam Vergilii quamvis breviter in hypomnematis enarravit, unde ab imperito homine vel potius plures deinceps per manus negligentissime excerpta videtur esse quae nunc 'de commentario Valeri Probi sublata' circumfertur misere mutilata illa quidem, uno etiam errore turpissimo inquinata¹⁾, sed excepto qui extremis adsutus est panno de 'Servii Mauri' epigrammate (cf. Reifferscheidii quaestt. Sueton. p. 398) interpolamentis vanisque fabellis libera, quamquam virtutibus propriis praedita prope nullis. nec bucolicon prolegomena quae secuntur eodem nomine illustrata quamvis manifestis inscitiae vere barbarae maculis deturpata nihil habent quod ad Berytii auctoritatem probabiliter possit referri.

Probi ex commentario etiam tunc integro ceterisque ex fontibus, maxime autem ni fallor ex Aesonii libro Suetonius *de viris illustribus* scribens vitam Vergilii concinnavit, quam saeculo quarto medio Aelius Donatus obiter retractatam a se²⁾ commentario suo praeposuit, quo factum est ut bonae frugis plena de Vergilio memoria nobis quoque servata sit. quam resectis additamentis quae ex Servii commentario petita sunt et medii aevi ineptiis, quae in noviciis exemplaribus³⁾ genuinò textui aspersa

¹⁾ Cf. Alexander Riese 'de commentario Vergiliano qui M. Valerii Probi nomine circumfertur' p. 24 quaeque ipse in Fleck-eiseni annalibus philol. a. 1863 p. 351 sqq. dixit putavi.

²⁾ Cf. Reifferscheidius quaestt. Sueton. 401, cui oblocutus Riesius l. l. mere repetitum a Donato Suetonii commentarium esse non contendisset, si accuratius verba illius perlustravisset.

³⁾ in Bernensi codice 527 saeculi XIV—XV et in excusis libris: vide Hagenum l. l. p. 680.

P. Danielis primus inter editores spreverat, ad codicum fidem recensuit Augustus Reifferscheidius in libro quo Suetonii praeter Caesarum libros reliquias collegit p. 54 sqq. postque eum denuo H. Hagen, qui scholiis Bernensibus iterum a se editis praemisit in annalium philologicorum supplementis vol. IV p. 734 sqq.¹⁾, ipso Suetonii libro usus discipulus Donati S. Hieronymus additamentis ad Eusebii chronicon pauca inde excerpta inseruit, Donati autem commentariolum in versus rededit Prisciano antiquior Phocas grammaticus urbis Romae, qui in fine truncati ad nos pervenerunt: extant in eodem libro Reifferscheidiano p. 68 sqq. (cf. eiusdem quaestt. Suet. p. 403 sq. et quae M. Hauptius in Hermetis vol. I p. 41 monuit).

Post Donatum Maurus Servius Honoratus quoque, notissimus poetae nostri interpres, vitam eius adumbravit, unde excerpta et per commentarium passim dispersa frustula quaedam extant. nam quae nunc in nonnullis codicibus praemissa scholiis legitur eruditissimo grammatico parum digna videtur²⁾. denique in *Bernensibus* duobus (172 et 167) libris et in *Monacensi* et *Reginensi* exigui, sed tamen non prorsus nullius pretii vita extat, quam post Reifferscheidium (p. 52 sq. in margine) ad Bernensium fidem repetiit Hagenus l. l. p. 745.

¹⁾ Huius libri accuratissimi nunc dum typhothetarum errores corrigo plagulae priores novem beneficio auctoris transmissae sunt.

²⁾ Reifferscheidii quidem ementitam esse vitam illam Servii nomen indicantis argumenta duo in qu. Suet. p. 399 prolata elevavit Hagenus l. l. p. 682 adn.: pannum illum Probianae vitae adsutum non ex ipsa Serviana, sed ex Donatiana, quam interpolator falso pro Serviana habuerit, fluxisse; perversam autem de morte Vergilii memoriam deesse in libris Servii Bern. 167 et 363. sed praeter totius commentarioli indolem ac stilum notanda sunt quae in prolegomenis bucolicon p. 97 leguntur 'et dicit Donatus, quod etiam in poetae memoravimus vita, in scribendis carminibus naturalem ordinem secutum esse Vergilium.' quae in nostra hodie non reperiuntur. plenius enarratam in commentarii Aeneidis prooemio respiciunt paulo supra p. 96 haec: 'poetae vitam in Aeneide diximus.' ceterum ex codicibus Parisino n. 7959 (P), Bernensi n. 363 (B), Cassellano (C) lectiones excerptas liberalitate qua solet mihi commodavit Gustavus Thilo.

Natus est P. Vergilius Maro¹⁾ Idibus Octobribus anni 684/70 Cn. Pompeio Magno M. Licinio Crasso consulibus²⁾ in pago, qui aberat a Mantua milia passuum XXX, Andibus³⁾. parentibus ortus est modicis patre mercenario⁴⁾, matre Magia Polla,

¹⁾ Indoctorum hominum magistrorumque ridiculam contumaciam, qui praedilectam a pueris nominis *Virgilius* formam ab impiis novarumque rerum studiosis eripi sibi lamentantur, argumentis testimoniisque delenire pudet taedetque postquam ante hos quadringentos prope annos Angelus Politianus in miscellaneis verum docuit. quod et titulis tam liberae reipublicae quam priorum post Christum saeculorum omnibus fere et codicum antiquissimorum fide et Graecorum scriptorum qui Οὐεργίλιος vel Βεργίλιος scribere solent consuetudine satis superque confirmatur.

²⁾ Suetonii de poetis fragm. XXV ex Hieronymi chronico excerptum editionis Reifferscheidianae p. 43. cf. Phlegontis δλυπιονικῶν καὶ χρονικῶν ἀναγραφῆ apud Photium cod. 97 p. 84 a 18, Probi vita apud Reiff. p. 52, 5 sqq., Donati p. 54 11, Bernensis. natalicia Phocas v. 21 sq. sic circumscibit: 'quo tempore Chelas iam mitis Phaeton post Virginis ora recepit.' Idus Octobres inter festos dies poetis consecratos fuisse Heynius adnotavit collatis Martialis XII 67 Avsonii idyll. V 25 Plinii epist. III 7, qui de Silio Italico haec tradidit: 'multum ubique librorum, multum statuarum, multum imaginum, quas non habebat modo, verum etiam venerabatur, *Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat.*' fallitur chronicon Paschale, ubi Ὀρθησιου καὶ Μετέλλου, h. e. anno 685 natus dicitur poeta.

³⁾ Pagum recte dicunt Hieronymus l. l. et Donatus, vicum Probi excerptor: Mantuanus in vita Bernensi appellatur poeta, et celebrat ipse Mantuam patriam ge. III 10 sqq., Tuscam autem Mantuae originem Aeneidis X 200 sqq. memor Phocas v. 5, qui in sapphici carminis v. 22 'vatem Etruscum' appellat. cavillans 'Venetum' dicit Euangelus apud Macrobius Sat. V 2, ad quem conferri iubent Sidonii ep. IX 15, 47 'Venetam lacessat ut favore Mantuam.' Servius quoque in vita 'fuit civis Mantuanus, quae civitas est Venetiae.' fuit enim ab Addua ad orientem versus Venetia.

⁴⁾ 'patre rustico' Probus l. l. 'patre, quem quidam opificem figulum, plures Magi cuiusdam viatoris initio mercenarium, mox ob industriam generum tradiderunt' Donatus. 'huic genitor figulus, Maro nomine, cultor agelli, *Vt referunt alii, tenui mercede locatus. Sed plures figulum. quis non miracula rerum Haec stupeat? dives partus de paupere vena Emicuit: figuli soboles nova carmina finxit.*' Phocas v. 6 sqq., qui acuminis causa lepidiori fabellae plures testes accessivisse videtur: cf. Reifferscheidii quaest. Suett. p. 403.

filia Magii viatoris¹⁾, qui Maroni patri ob industriam et probitatem filiam in matrimonium dederat²⁾, prodigiorum, quibus nascentis poetae flos ac virtus indicata fuisse fertur, ineptias mittimus³⁾. sed subito partu editus esse traditur in fossa, dum mater cum marito rus propincum petebat⁴⁾. tenui primum facultate nutritum⁵⁾ mox aucta per industriam recula⁶⁾ Cremonam pater duodecim annorum puerum anno 696 deduxit, ubi is litterarum elementis instrueretur⁷⁾. fuit Cremona inde ab anno 536/218 colonia Latina, facta deinde lege Iulia a. 664/90 municipium, ut prae aliis puerilia saltem litterarum studia coluisse iure existimetur. sumpta deinde anno 699/55 aetatis suae XV isdem illis iterum consulibus quibus natus erat, die natali suo, quo ipso Lucretius poeta

¹⁾ 'matre Magia Polla' Probus. 'mater Virgilio fertur Maia' (Magia Reifferscheidius) Philargyrius ecl. III 62; item schol. Bern. ad eundem l., qui *Maiam* matrem etiam ad ecl. V 22 commemorat. 'mater Polla fuit Magii non infima prote' Phocas v. 11. 'ortus est patre Marone (sic Guelf. I, Virgilio BC, figulo P), matre Maia' Servius in vita.

²⁾ Donatus laudatus in adn. 4. p. VIII 'quem socerum probitas fecit iam clara Maroni' Phocas v. 12.

³⁾ 'praegnans eo mater somniavit enixam se laureum ramum, quem contactu terrae coaluisse et excrevisse ilico in speciem maturae arboris refertaeque variis pomis et floribus ferunt infantem ut sit editus neque vagisse et adeo miti vultu fuisse, ut haud dubiam spem prosperioris geniturae tam tum daret. accessit aliud praesagium, si quidem virga populea more regionis in puerperis eodem statim loco depacta ita brevi evaluit tempore, ut multo ante satas populos adaequavisset; quae arbor Vergilii ex eo dicta atque etiam consecrata est summa gravidarum ac fetarum religione et suscipientium ibi et solventium vota' Donatus p. 55. quae versibus exornavit auxitque Phocas 13—38. somnium matris Philargyrius quoque et scholiasta Bernensis ad ecl. III 62 tangunt. ceterum cf. Reifferscheidii quaest. Suetonn. 404.

⁴⁾ 'ac sequenti' (somnia) 'luce cum marito rus propinquam petens ex itinere devertit atque in subiecta fossa partu levata est' Donatus l. l. (*levata* Sang. *levata* Pithoeanus, *leviata* Bern. Regin.).

⁵⁾ Probi verba sunt.

⁶⁾ 'egregieque substantiae silvis coemendis et apibus curandis auxisse reculam' (patrem tradiderunt). Donatus p. 54, 10.

⁷⁾ 'Vergilius Cremonae studiis eruditur' (a. 696) Hieronymus Ol. 180, 3. 'initia aetatis Cremonae egit usque ad virilem togam' Donatus p. 55, 13.

vita decessit, toga virili¹⁾ Mediolanum transgressus paulo post anno 701/53 Romam venit²⁾.

Ibi primum rhetoricam exercuit apud *Epidium* oratorem³⁾, quem praeter alios M. Antonii et Caesaris Octaviani praeceptorem fuisse cum adfirmet Suetonius de gramm. et rhet. 28 (4), non improbabile est Octaviano iam tum consuetudine aliqua innotuisse adulescentem. sed ad forensia negotia vel corporis imbecillitate minime natum 'felicitas', ut ait Seneca⁴⁾, 'ingenii in oratione soluta reliquit', tardissimum etiam in sermone ac paene indocto similem⁵⁾. ergo causam apud iudices unam omnino egit nec amplius quam semel⁶⁾.

Quo maiore incensus cupiditate naturae arcana perscrutandi ad philosophiam se applicavit, magistro usus *Sirone* Epicureo, Ciceronis quoque familiari, cuius disciplina una cum *Alpheno Varo* imbutus est⁷⁾. extant iambi Catulliano stilo digni (catal. VII),

¹⁾ Donatus p. 55, 14.

²⁾ 'Vergilius sumpta toga Mediolanum transgreditur et post breve tempus Romam pergit' (a. 701) Hieronymus Ol. 181, 4. 'Cremona Mediolanum et inde paulo post transit in urbem' Donatus p. 55, 17, ubi vulgata 'Neapolim transit' habet. inde apud Servium in vita legitur 'diversis in locis operam literis dedit; nam et Cremonae et Mediolani et Neapoli studuit.' Mediolani quam foreant studia narrat Plinius ep. IV 13.

³⁾ 'ut primum se contulit Romam (romae eodd.), studuit apud Epidium oratorem cum Caesare Augusto' vita Bernensis. 'cum iam summis eloquentiae doctoribus vacaret, in belli civilis tempora incidit' Probianae vitae excerptor.

⁴⁾ Exc. controv. III p. 361, 14 B.

⁵⁾ C. Melissi apud Donatum p. 58, 5 verba sunt: cf. prolegg. 58. 89.

⁶⁾ Donati l. l. verba.

⁷⁾ 'tum tibi Sironem Maro contulit ipsa magistrum Roma potens proceresque suos tibi iunxit amicos: Pollio Maecenas Varus Cornelius ardent, Te sibi quisque rapit, per te victurus in aevum' Phocas v. 63 sqq. 'vult exequi sectam Epicuream, quam didicerat tam Virgilius quam Varus docente Sirone' Servius ad ecl. VI 13. 'ex maiore autem parte Sironem magistrum suum Epicureum sequitur' idem ad Aen. VI 264. cf. schol. Veron. ad ecl. VI 9 p. 74, 5 K. 'fuit autem Varus condiscipulus Virgilii, quem fraterno amore dilexit' schol. Bern. ad ecl. VI 11. allegorista inperitus finxit quae ibidem ad v. 13 adnotantur: 'hos' (Chromin et Mnasyllum) 'pro condiscipulis Virgilii accipere debemus, Varo scilicet et Tucca,

quibus ut philosophiae portum petens et in 'docta dicta' magni Sironis toto animo conversus valere iubet et rhetorum inanes ampullas et scholasticorum, h. e. grammaticorum nationem 'pingui madentem' et vero dulces camenas, quas quod rogat ut 'pudenter et raro' chartas eius revisant, lasciviori potissimum carminum generi, cui solebant elegantiores homines ad Catulli Calvique exemplar indulgere, adulescens illis quidem annis operam dedisse videtur¹⁾.

Nec umquam deposuit philosophiae studium, cuius et fructus in carminibus reliquit suavissimos (ecl. VI 31 sqq. ge. III 219 sqq. Aen. I 742 sqq. VI 724 sqq.) et laudes cecinit in ge. II 475 sqq. quid quod absoluta Aeneide reliquam vitam totam ei dedere constituerat²⁾, sive meditando et legendo sive quod olim optaverat poemate ad Lucretii exemplum 'caeli vias et sidera' universamque rerum naturam explicaturus. quam ut totam cognosceret medicinae quoque ac maxime mathematicae operam dedit³⁾, ac ne horum quidem studiorum in carminibus indicia desunt⁴⁾.

Poesin ut puer auspicatus esse fertur scripto in Ballistam, ludi gladiatorii magistrum, disticho

monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus:
nocte die tutum carpe viator iter⁵⁾,

qui poetas quasi Silenum petierunt scribere bucolica.' Siron (Cei-puvv) nominis formam vindicavit Hauptius Herm. I p. 40 sq.

¹⁾ 'inter quos' (qui versus parum severos fecerunt) 'vel praecipue numerandus est P. Vergilius, Cornelius Nepos, et prius Attius Enniusque' Plinius epist. V 3, 6. ceterum de hoc poeseos Maronianae genere alio loco propediem disseram.

²⁾ 'ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret' Donatus p. 62, 16 R.

³⁾ Donatus p. 58, 3 R.

⁴⁾ Mathematicam et astronomiam tangit ecl. III 40 sq. ge. I 32 sqq. 204 sqq. 231 sqq., medicinam in georgicon libro III, maxime v. 478 sqq.

⁵⁾ 'poeticam puer adhuc auspicatus in Ballistam (ballistam Bern. Sang.) ludi magistrum ob infantiam atrociorum coopertum lapidibus distichon fecit: monte' e. q. s. Donatus p. 58, 6. 'primum ab Virgilio hoc distichon factum est in Ballistam latronem: monte' e. q. s. Servius p. 1 (Virgilio om. P.). pro litteratore habuit Ballistam Phocas v. 41 sqq.: 'tum Ballista rudem lingua titubante receptum Instituit primum; quem nox armabat in umbris Grassari solitum: crimen doctrina tegebat. Mox patefacta viri pressa est audacia saxi.' e. q. s. lanistam fuisse multo probabilius statuit qui

ita ne adulescens quidem neglexit. annos XVI natus, h. e. anno 700/54 *culicem* poema composuerat, de quo mox alio loco accuratius disseremus³⁾. nec probabile severiora studia ingeniosum iuvenem Romae adeo a musis avocavisse ut intra annos XII nulla carmina faceret. nam etsi quo magistro poeticae artis tunc usus sit dici nequit⁴⁾, tamen postquam urbem ingressus est anno 701, in poetarum partim seniorum partim aequalium coetum amplissimum mox receptum esse statuerim. mortui quidem paulo ante erant a. 699 Lucretius, paulo post 702 Catullus, sed vivebant etiam huius sodales *Licinius Calvus* (+ ante 708), *Cornificius Gallus* (+ 713), *C. Helvius Cinna* (+ post 714), hisque maior natu *Valerius Cato* 'grammaticus, Latina Siren', qui, ut Suetonii de gramm. 11 verbis utar, 'docuit multos et nobiles visusque est peridoneus praeceptor ad poeticam petentibus', annorum tum fere XXXV; huic prope aequalis

apud Donatum 'ludi [gladiatorii] magistrum' interpolavit, ut est in Bernensi cod. 527 et in vulgata: cf. Hagen l. l. p. 680 et Hauptius Herm. I p. 41 sq.

¹⁾ Donatus p. 58, 12 R. (annorum XV Sang.) Phocas v. 60. 'ut praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans' (Lucanus) 'ausus sit dicere: "et quantum mihi restat ad culicem!"' Suetonius p. 50, 6 R. 'haec primo iuvenis canes sub aevo Ante annos culticis Maroniani' Statius silv. II 7, 73 sqq. cf. idem in praef. ad silv. I, Martialis VIII 56, 20, XIV 185.

²⁾ *Parthenii* grammatici num in Graecis litteris disciplina usus sit non satis constat. quem, postquam anno 681 expugnata bello Mithridatico patria urbe Nicaea Romam captivus deductus sit, anno 690 Neapoli Graeca Maronis studia rexisse Meinekius anal. Alex. 257 parum probabiliter statuit. tunc enim etiam in paterno agro puerulus Maro bulla cinctus lusit, obscura autem nec omni dubitatione exempta Macrobbii Sat. V 17, 18 verba sunt 'versus est *Parthenii*, quo grammatico in Graecis *Vergilius* usus est.' nam haec ipsa 'quo . . . usus est' et erasa sunt in Parisiensi P, nec satis cum dicendi consuetudine Macrobiana videntur conciliari posse (vide Iani adnotationem, qui haec coniecit 'quo γραμματικῶς in georgicis V usus est', nisi forte omnino expellendum sit 'grammatico'). nec Gellius IX 9, 3. XIII 27 quidquam testatur nisi aemulatum esse Vergilium quosdam *Parthenii* ut Homeri Hesiodi Apollonii Callimachi Theocriti versus. nec quod Moretum *Parthenii* imitatus esse dicitur a scholiasta Ambrosiano (cf. Meinekius anal. Alex. 272), inde praeceptore usum esse sequitur.

Furius Bibaculus (natus a. 655, mortuus non ante 736), praeterea tricenarii fere *Varro Atacinus* (natus a. 672, + post 707) et *L. Varius Rufus* (natus a. 672, + post 737), a quo memoria separari non potest quamvis minus clarus *Plotius Tucca*. neque *Quintilius Varus*, Catulli sodalis, ab horum aetate multum abfuisse putandus, siquidem anno 730 non praematura morte defunctus est. quo aliquanto iunior fuit *Asinius Pollio* (natus 678, + 757), Cinnae amicus et patronus. quot annos tum habuerit *Domitius Marsus* nescitur, sed vixit ultra mortem Tibulli, qui paulo post Vergilium decessit. plane aequalis nostri fuit *Cornelius Gallus* (685 — 728), paulo fortasse minor natu *Aemilius Macer* (+ 738), puer *Horatius* (natus 689), infantiam vix transgressus *Tibullus* (natus inter annos 695 et 700), nondum nati *Propertius* (n. circa 703) et *Ovidius* (n. 711). ac populares nostri poetae inter hos fuerunt *Furius Bibaculus* et *Quintilius Varus* Cremonenses, *Aemilius Macer* Veronensis, *Cornelius Gallus* Foroiuliensis. quorum quem postremo loco nominavi, si recte in Probi prolegomenis p. 6, 1 K. 'condiscipulus' Vergilii fuisse traditur, fortasse iam Cremonae vel Mediolani puerilium studiorum consortio iuncti fuerunt. *Quintilius Varus* Servius ad ecl. V 20 etiam cognatum Vergilii dicit; quod etiamsi ex Horatii carm. I 24 fictum sit¹⁾, certe equitem Romanum inter litteratos urbis clarum consentaneum est adulescentis cum res universas tum poetica studia et consilio et conciliandis aliorum amicitias magnopere adiuvisse. nec dubito quin elegantissimi et integerrimi iudicii familiari, cuius inter virtutes 'incorrupta fides nudaque veritas' insignes erant (Hor. l. l.), Vergilius pariter ut Horatius (cf. a. p. 438 sqq.) quidquid scripserat carminum priusquam edere recitaverit²⁾. *Aemilium* quoque *Macrum* amicum eius fuisse satis constat³⁾, quamquam ubi cognoverit, Romaene an in Gallia transpadana, nescimus. at a Furii Bibaculi consuetudine abhorruisse

¹⁾ Cf. Acron ad Hor. l. l. v. 1 'quidam autem fratrem Vergilii hunc volunt esse.'

²⁾ Cf. L. Schwabii quaest. Catull. 289 sqq. 'hic erat *Quintilius Varus* Cremonensis, amicus Vergilii, eques Romanus' Porphyrio ad Hor. a. p. 438. 'Quintilius Cremonensis Vergilii et Horatii familiaris moritur' (a. 730) Hieronymus.

³⁾ 'haec ecloga in personas' (duas add. Hagen) 'divisa est, Vir-

videtur cum propter acerbum mordacissimi hominis ingenium, mitissimis Maronis moribus minime conveniens, tum quia Caesarem acerrimus exagitator certe eorum qui Maecenatis et Octaviani familiares habebantur usum declinavisse statuendus est.

Neque cum Calvo aut Varrone Atacino ullum commercium habuisse traditur, quorum ille iam ante a. 708, nec multo post Catullum mortuus est, hic quamvis a Vergilio dum Aeneida componebat minime contemptus, tamen initio saeculi octavi neque constat num omnino Romae fuerit et veterum qui dicuntur poetarum ordini ita ascriptus fuit, ut ne Graecas quidem litteras tum calleret. sed Vergilius a Graecorum, maxime Alexandrinorum poetarum imitatione diligentissima profectus inter Romanos primae artis suae aetate maxime admiratus est *Cinnam*, Smyrnae auctorem eruditissimum, et *Varium* (ecl. IX 35), cuius de morte Caesaris poema tunc illustre fuisse conicio, et *Pollienem* (ecl. III 86. VIII 10), qui 'nova carmina', h. e. ad novam artis regulam eliminatas tragoedias 'Sophocleo dignas cothurno' faciebat. sed huic innotuisse vix potest ante annum 706, quo redux Pollio ex bello Pharsalico Romae adversatus est Dolabellae (Plut. Anton. 9). ceterum nescimus quam diu poeta noster dum studiis intentus erat in urbe commoratus sit, quando redierit ad parentes quamque assidue vel quibus vicibus intra hos annos in agro paterno otio fructus sit.

Probabile tamen est Romae eum fuisse, cum magno ut solent nondum adulta ingenia conamine post minora quaedam carmina, quorum certa memoria perit, *res Romanas* sive *gesta regum Albanorum* epico poemate narrare coepit, sed mox omisit non tam nominum asperitate puto deterritus quam et Ennianae, cuius ipse vestigia pressurus erat, artis vel ruditatis fastidio et

gilit scilicet et Aemilii Macri; fuit enim et ipse poeta Vergilio amatissimus. qui? (Eusebius dicit: Hagen) 'Aemilius Macer Veronensis in Asia moritur' schol. Bern. ad ecl. V arg. sumpta autem sunt haec extrema 'Aemilius . . . moritur' ex Hieronymo. 'Mopsus vero Aemilius Macer Veronensis poeta, amicus Vergilii' Servius ad ecl. V 1. quodsi annorum saltem rationem habuissent allegoristae, versu huius eclogae quarto, ubi maiorem se Menalcandicit Mopsus, Vergilio Macrum minorem natu fuisse efficeretur.

quia Graecorum elegantiae tam amplo opere adsequendae se imbarem adhuc esse intellegebat (cf. ecl. VI 3 sq.)¹⁾. ergo vertendis primum Theocriti aliorumque idyllis stilum exercuit, quorum laborum cum frustula quaedam venustissima ecl. IX 23 sqq. et 39 sqq. laudet, ne integra quidem carmina latuisse, sed inter amicos tradita et recitata esse crediderim. post annum vero 711 etiam Iulii Caesaris numen propriis versibus celebravit, quorum initium in eadem ecloga v. 46 sqq. repetitur.

Sed inde ab anno eodem exeunte dum legatus Galliam transpadanam tenebat, poeta noster modo domi modo in cohorte potentis amici versatus hoc potissimum auctore poeseos genus, cuius iam pulcherrima specimina exhibuerat, prae aliis data opera colere instituit. nam edere coepit teste Asconio Pediano *bucolica* annos natus XXVIII, h. e. anno 712, intraque triennium, annis scilicet 713 — 715, perfecit atque emendavit²⁾. singulas autem eclogas in prolegomenon capite I hoc ordine se excepisse statui-mus, ut *secunda* et *tertia* edita sit ante *quintam*, post secundam et ante decimam, immo initiis propior *septima*: anni 713 aestate *prima*, autumno *nona*, quam postea insecuta est *sexta*; ineunte a. 714 orta *quarta*, paulo ante triumphum Pollionis a. d. VIII Kal. Nov. a. 715 celebratum *octava*, omnium denique ultima *decima*.

Atque Alexidis usus persona in ecloga secunda *Alexandri* pueri, quem cum rogatus a Pollione ad prandium ministrantem vidisset et propter pulchritudinem elegantiamque ingenii magnopere adamasset, dono ab illo acceperat, delicatissimas laudes ceci-

¹⁾ 'mox cum res Romanas inchoasset, offensus materia ad *bucolica* transit' Donatus p. 58, 21. 'significat aut Aeneidem aut gesta regum Albanorum, quae coepta omisit nominum asperitate deterritus' Servius ad ecl. VI 3. 'ad illud refert, quod coepisset Albanorum reges et bella describere Vergilius, sed territus insuavitate carminis desisset. Iunilius dicit.' schol. Bern. ecl. VI 5.

²⁾ 'cum certum sit eum, ut Asconius Pedianus dicit, XXVIII annos natum *bucolica* edidisse' Probus p. 7, 7 K. cf. idem p. 1, 12. Servius prolegg. bucol. p. 96, schol. Bern. ad ge. IV 565. 'tunc ei proposuit Pollio ut carmen bucolicum scriberet, quod eum constat triennio scripsisse et emendasse' Servius in vita p. 1 L. cf. Donatus p. 60, 5 Phocas v. 94 sq. vide prolegomena nostra p. 1.

nit¹⁾. mox in tertia elegantissimi et acerrimi iudicis favorem gloriatu v. 84 sq. *Bavium* (mortuum teste Hieronymo non multo post in Cappadocia, a. 719) et *Maevium* pessimos et contemptissimos non poetas tantum sed homines etiam facete castigavit v. 90 sq.²⁾, qui nisi ultro maledictis lacesissent vel ipsius lenissimum animum vel adeo Pollionem, vix tam viles animas apertis etiam nominibus odio elegantiorum hominum tradidisset³⁾. aliquanto meliorem, sed invidio nostro poetam *Cornificium* tetigisse putabatur Amyntae nomine in ecloga quinta v. 8 sq. (cf. II 39)⁴⁾, quam ille ipsam paulo post in bucolico fortasse carmine (nam in eodem tum quo Vergilius poseos genere praeter amatorium elaboravisse statuendus) hoc versiculo *hordeu qui dixit, superest ut tritica dicat*⁵⁾ (cf. ecl. V 36) cavillatus est⁵⁾. alius

¹⁾ *Alexin, quem dicunt Alexandrum: fuit servus Asinii Pollionis, quem Virgilius rogatus ad prandium cum vidisset in ministerio omnium pulcherrimum dilexit, eumque dono accepit . . . qui (Pollio) eo tempore transpadanam Italiae partem tenebat et agris praerant dividendis* Servius ad ecl. II 1 cf. schol. Bern. arg. *maxime dilexit Ceбетem et Alexandrum, quem secunda bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio Pollione, utrumque non inereditum* Donatus p. 57. cf. Servius ad ecl. II 15 Martialis VIII 56 Apuleius apol. 10. vide prolegg. p. 3 sq.

²⁾ Philargyrius, schol. Bern., Servius ad ecl. III 90 idemque ad VII 21. de Maevio cf. Horatii epod. 10 et Porphyrii adnotationem. Domitii Marsi in Bavium curatorem epigramma, quod Hieronymus p. 41 servavit et scholiasta Bernensis l. l. adumbravit, post alios emendare conatus sum in mus. Rhen. XVIII p. 476, alia fortasse probabiliora in eodem volumine p. 633 sq. proposuit Buechelerus.

³⁾ Inimicos Vergilii dicunt Philargyrius, Servius, scholiasta Bernensis l. l., inter obtrectatores numerat Servius ad ecl. VII 21, quamquam vix probabile in culicem pueri poema invectos fuisse, quae Weichert de poetarum Latt. rell. 309 opinio est.

⁴⁾ *Amyntam Cornificium vult intelligere, quia conatus est contra Virgilium scribere* Servius ad ecl. II 39, schol. Bern. ad h. l. et ad ecl. V 8. Codri nomine qui Cornificium intellexerent fuisse scholl. Veron. et Bern. ad ecl. VII 26sq. traditur, scripsisse contra Vergilium post quintam demum eclogam videtur. ceterum vide prolegg. 96 sq. premens Vergilii verba *montibus in nostris* solus tibi certat Amyntas Merkelius in prolusione ad Ibin p. 365 Cornificium eius vicinum fuisse statuit

⁵⁾ Cf. Cleonius p. 1898 et prolegg. 96 sq., ubi docui Cor-

in bucolico genere rivalis poeta et in hac ecloga (v. 11) et in septima v. 22 sqq. vellicatur *Codrus*, quem etiam Valgius in elegiis Cinnae et Demodoco aequiparaverit, Vergilius tamen *proxima Phoebi versibus facere* meram per ironiam concedit: tale enim Codri amicorumque eius iudicium erat, ipse *crecens poetas iurgia et fastum et invidiam arrogantis hominis videtur expertus* esse¹⁾. ergo minime solus aut primus Sicelidas musas in Latium transtulit, sed ingenio et arte antecelluit *Euphorionis cantores*. *Anserem* amorum poetam ab Ovidio trist. II 435 iuxta cum Cinna et Cornificio et Catone laudatum cur in odio habuerit vel parvi aestimaverit, ut in ecl. IX 36 quamvis oblique tangeret, traditum non est. sed ille cum in M. Antonii Mutinam mense Martio anni 711 oppugnantis cohorte eiusque res gestas poemate descripturus fuerit, fortasse poeta noster tum temporis a senatus et Octaviani partibus stetit. ceterum vereor ne dono quoque agri Falerni ab Antonio accepti vatam animos ille irritaverit²⁾.

nificii, non Bavii aut Maevii (Servius ad ge. I 210) esse versiculum. praeterea vide prolegg. p. 2 sq.

¹⁾ *Codrus poeta eiusdem temporis fuit, ut Valgius in elegiis suis refert* Servius ad ecl. VII 22. *similiter autem hunc Codrum in elegiis Valgius honorifice appellat et quadam in ecloga de eo ait:*

*Codrusque ille canit quali tu voce canebas
atque solet numeros dicere, Cinna, tuos,
dulcior ut nunquam Pyllo profuaxerit ore
Nestoris aut docto pectore Demodoci*

e. q. s. schol. Veron. ad l. l. nam sic in Veronensi codice extare nuper in Fleckeiseni annalibus a. 1866 p. 66 testatus est Buechelerus. ariolationes hominum doctorum refutavit Ungerus (de C. Valgii Rufi poematis p. 66 sqq.): quod tamen ipse Graecum fuisse poetam contendit nec probatur Valgii epigrammate et refellitur verbis Vergilii.

²⁾ *alludit ad Anserem quendam Antonii poetam, qui eius laudes scribebat, quem ob hoc per transitum carpsit. de hoc etiam Cicero in Philippicis (XIII 5, 11) dicit: "ex agro Falerno Anseres depellantur." ipsum enim agrum ei donaverat Antonius* Servius ad ecl. IX 36, cf. glossar. Barth. p. 373 L. non multum tribuerim his: *Thyrsis vero qui vincitur Virgilii obtrectator, scilicet aut Bavius aut Anser aut Maevius [pessimi] poetae*, quae Servius ad ecl. VII 21 adnotavit. graviora Cicero l. l. *eique qui nunc Mutinam oppugnant, D. Brutum obsident, de Falerno Anseres depellantur.* Vergilii locum dubium non est quin respiciat Propertius in elegia illa III (II) 34, ubi post v. 66 hunc ordinem

Anno 713 dum in Gallia transpadana commoratur poeta, veteranorum in colonias a triumviris adsignatas inruptiones factae sunt. cumque sexaginta hominibus Cremonensium praedia sufficere non viderentur, *Octavius Musa*, limitator a Caesare Octaviano datus, fines eorum transgressus agri Mantuani vicini miserae Cremonae (cf. ecl. IX 27 sq. ge. II 198 sq.) XV milia passuum adsumpsit: quo factum est ut Vergilii quoque pater cum suis a centurione *Arrio* ex bonis expelleretur¹⁾. fuerunt tum in Gallia

conicio restituendum esse: v. 77 ('tu canis Ascræi') — 80. 67 ('tu canis umbrosi') — 76. 81 sqq. de quo disserui in scholarum universitatis Kiloniensis aestate anni 1867 habendarum indice, qui his ipsis diebus editur.

¹⁾ *Italiae ergo civitatibus diversas partes sequentibus Cremonenses et Mantuani neutri sunt auxiliati: sed hoc Augustus indignatus veteranis, quorum operam in bello habuerat, agros Cremonensium dividi iussit et si non suffecissent Mantuanos adiungi. unde factum ut Vergilius quoque agros amitteret quos sexaginta veterani acciperent* Probus p. 5. K. 'exorto civili bello Cremonenses cum ceteris eiusdem studii adversarios Augusti Caesaris adiuverunt. unde factum est ut, cum victor Augustus in eorum agros veteranos deduci iussisset, non sufficiente agro Cremonensium Mantuani quoque, in quibus erat etiam poeta Virgilius, maximam partem finium suorum perderent' (sic Hagenus: *perdidit Sang. perdidissent Bern. Par.*) 'eo quod vicini Cremonensibus fuerant.' Donatus praef. bucol. § 62. cf. Servius in vita p. 1 et in praef. bucol. p. 96 L. Phocas v. 67—81. 'alii medium clivum accipiunt . . . usque ad eum autem locum perticam militarem Octavius Musa porrexerat, limitator ab Augusto datus, i. e. per XV milia passuum agri Mantuani, cum Cremonensis non sufficeret, offensus a Mantuanis quod pecora eius in agro publico aliquando clausissent' Servius ad ecl. IX 7. huc videtur spectare quod ad v. 28 et in vita et in praef. bucol. II. II. apud Servium adfirmatur 'non propter civium culpam, sed propter vicinitatem' Mantuanis agros ademptos esse: Phocas quoque v. 80 'Mantua tu coniuncta loco sociata periculis. Non tamen ob meritum: miseram vicinia fecit?' sic enim interpungenda sunt. illud quod Servius tetigit copiosius, sed parum luculente narratur auctore Iunilio, h. e. Innio Philargyrio in scholiis Bernensibus ad ecl. VIII 6: 'huc' (Asinio Pollioni) 'post victum Antonium apud Perusiam successor datus est Asfenus Varus, qui iratus Mantuanis agros eorum parti Cremonensium iunxit. causa autem iracundiae haec fuit. Octavius Musa enim, civis Mantuanus idemque magistratus, cum tributum ab Augusto fuisset indictum, pecora Vari capti pignori tamdiu in foro clausa tenuit (nam Varus possessor

transpadana et *Asinius Pollio* ut diximus legatus et *Cornelius Gallus*, cui a IIIviris exigendi pecunias ab eis municipiis, quorum agri in illa regione non dividebantur, munus mandatum erat¹⁾. his igitur auctoribus inter ceterorum supplicum multitudinem Romam se contulit poeta, ubi amicorum potentium interventu impetravit, ut Octavianus non inmemor fortasse communis apud rhetorem disciplinae sua Maronibus restitutum iri promitteret²⁾.

Et reduci Andes postquam redditus est ager, in *prima* ecloga gratias Octaviano maximas ita dixit, ut quantopere simile beneficium ceteris quoque Mantuanis exoptaret, introducta misera Meliboei fugientis patriam persona significaret. at exorto ex-

Mantuanus erat), donec inedia morentur, unde molestum Mantuanis super amittendis agris intulit Varus; Virgilio tamen pepercit, quoniam condiscipulus eius fuerat. quae sic tantum ad aliquam probabilitatem redigi et cum Serviano scholio conciliari possunt, ut statuatur Alphenus Varus 'Mantuanus idemque magistratus,' quaestor fortasse, cum tributum indictum solvere nollent Mantuani, pecora civis ex locupletissimis Octavii, quae in agro publico pascabant, pignori cepisse, quibus inedia interemptis iratus Octavius postea Mantuanorum agrum Cremonensi adiunxerit. nam Varus omnino IIIvir agris adsignandis tum non fuit: ergo Bernensis scholiasta Vari et Octavii nomina ita confudit, ut ubi Varum dicit Octavius, ubi Octavium Varus intellegendus sit. cumque anno demum 712 provincia esse desierit Gallia cisalpina, quamquam iam anno 705 transpadanis quoque civitas Romana data est, fortasse intra hos ipsos annos lis illa de tributo solvendo orta est. Octavium autem Musam inter familiares poetae fuisse probabile fit catal. XIII. XIII, culicis v. 1 et 25, id quod alio loco mox demonstrabo. ceterum cf. prolegg. p. 4 sqq. de *Arrio* inprimis memorabile testimonium Servii ad ecl. I 48: 'nam a monte usque ad lacum et inde usque ad arborem quandam fuerat *Arrio* donata possessio', reliqua vide infra.

¹⁾ Servius ad ecl. VI 64.

²⁾ 'insinuatus Augusto per *Cornellium Gallum*, condiscipulum suum, promeruit ut agros suos reciperet' Probus p. 6 K. Meliboeus in ecl. I pro *Cornelio Gallo* temere habetur apud Servium. 'perdito ergo agro *Virgilius* Romam venit et potentium favore meruit ut agrum suum solus reciperet' Servius praef. bucol. 'amissis ergo agris Romam venit et usus patrociniis *Pollionis* et *Maecenatis* solus agrum, quem amiserat, recipere meruit' (recipere om. BP) Servius in vita. 'unde cum omnibus Mantuanis agri auferrentur, quod Antonianis partibus favissent, huic soli concessit' (Caesar) 'memoria condiscipulatus' vita Bern.

trema fere aestate anni 713 bello Perusino cum Pollio Fulviae et L. Antonio auxilium laturus reliquisset Galliam, confecto vero anno 714 ineunte fugatus etiam esset, in locum eius ab Octaviano *Alfenus Varus* Galliae transpadanae legatus substitutus est¹⁾. qui cum olim una cum Vergilio Epicuri praecepta apud Sironem magistrum imbibisset, magna poetae spes fuit fore ut per hunc et sua veteranorum ab avaritia tuta possideret et ceteris Mantuanis amissa bona reconciliaret. nam triumvir ille agris dividendis cum Cornelio Gallo constitutus partem agrorum illis reddere etiam iussus erat a senatu²⁾. nec premissis initio magnificis pepercit, quae si soluta forent, laudes se magni amici, qui ipse non alienus a musis erat (ecl. VI 11 sq.), insigni poemate praedicaturum esse pro sua parte promisit poeta (cf. ecl. VI 6 sq.).

Et adgressus est opus, cuius exordium in ecl. IX 27—29 ipse repetit: sed Varus parum stetit promissis. immo 'iussus tria milia passuum a muro in diversa relinquere cum vix octingentos passus aquae quae circumdata erat admetiretur', nihil Mantuanis praeter palustria reliquisse a Cornelio Gallo postea est accusatus³⁾. nec Vergilio auxilium tulit, cum is altera veteranorum, qui vicinos agros acceperant, duce *Milieno Torone* primipilari inruptione in agrum eius facta non tantum iterum cum suis expulsus, sed etiam inter altercationem de finibus ortam a *Clodio* quodam latrone paene occisus sit, qui omnem se litem amputa-

¹⁾ 'alii fuso fugatoque Asinio Pollione ab Augusto *Alfenum Varum* legatum substitutum, qui transpadanae provinciae et agris dividendis praesesset, qui curavit ne ager, qui *Virgilio* restitutus fuerat, a veteranis auferretur' Servius ad ecl. VI 6. 'sane blanditur *Alfeno Varo*, qui *Pollione* fugato legatus transpadanis praepositus est ab Augusto' Servius ad ecl. IX 29. 'quidam autem dicunt primitus agros ab *Pollione* *Virgilio* redditos, postquam autem *Varus* successit *Pollioni*, adempti sunt.' schol. Bern. ad ecl. IX arg. addas eiusdem ad ecl. VIII 6 adnotationem quam supra p. XVIII sq. exscripsi. vide prolegg. 5 sqq.

²⁾ Servius in praef. bucol. postquam de *Arrii* impetu narravit (vide infra) 'postea ab Augusto missis triumviris et ipsi ager est redditus et Mantuanis pro parte. hinc est quod cum in prima ecloga legimus eum recepisse agrum, postea eum querulam invenimus, ut [IX 11—13].'

³⁾ Servius ad ecl. IX 10: cf. prolegg. 6.

turum esse iactans stricto eum gladio ita persecutus est, ut ille fuga salutem aegre inveniret¹⁾.

Iterum igitur expulsus perfugium cum suis, etiam cum patre nactus est in villula quae *Sironis* olim fuerat. ubi et epigramma quod inter catalecta legitur *decimum* scripsit et *eclogam nonam* ortam esse probabiliter conicitur. qua iniuriam sibi factam graviter conquestus²⁾ laudatis etiam poematum quorundam partim ex *Theocriti idylliis* (III. XI) expressorum partim ab ipso in fautorum, *Vari* scilicet (27 sqq.) et *Octaviani* (46 sqq.), honorem inventorum exordiis, ut flagitii in vatem a latronibus commissi puderet ami-

¹⁾ Sic fere ut confusa veterum testimonia conciliarentur suasi in prolegg. 7. 'cum immunitatem agrorum *Virgilius* impetrasset, is est exorta de finibus inter eum et eos, qui in proximo agros acceperant, ex quibus *Clodius* quidam dixit se omnem litem amputaturum interfecit *Virgilio*, quem poeta stricto gladio se insequentem fugit in tabernam carbonariam et beneficio institutoris ex alia parte emissus servatus est.' Servius ecl. IX 1. *Claudius* commemorat schol. Bern. ad ecl. III 93 et in argumento ecl. IX, ubi haec leguntur: 'nam cum *Claudio* quodam milite communem agrum possidebat, a quo paene fuerat occisus;' et ad v. 2 his: 'advena, id est *Claudius*, non ut alii *Varum* vel *Arrium* centurionem dicunt.' de *Milieno Torone* locus est *Probi* p. 6 K. hic: 'promeruit ut agros suos reciperet, et eo facto concitaverat in se veteranos adeo, ut a *Milieno Torone* primipilari paene sit interfectus nisi fugisset, ut contestatur ipse cum ait [ecl. IX 14—16].' *Arrii* centurionis impetum reduce Roma *Virgilio* factum falso, ut puto, narrat Servius in praef. bucol. '... meruit ut agrum suum solus reciperet. ad quem accipiendum profectus ab *Arrio* centurione, qui eum tenebat, paene est interventus, nisi se praecipitasset in *Minchum*.' cf. idem ad ecl. III 94 IX 1. 23. sed ad priorem casum spectant quae *Donatus* in praef. bucol. § 63 habet: 'sed *Virgilius* merito carminum fretus et amicitia quorundam potentium centurioni *Arrio* cum obsistere ausus esset, ille statim ut miles ad gladium manum admovit, cumque se in fugam proripuisset poeta, non prius finis persequendi fuit quam se in fluvium *Virgilius* coniecisset atque ita in alteram ripam enalavisset.' quod absurde dicunt per allegoriam tangi ecl. III 94 sq. breviter sine ullo nomine in vita *Donati* p. 59, 5 R. 'qui' (*Maecenas*) 'sibi . . . opem tulisset adversus veterani cuiusdam violentiam, a quo in altercatione litis agrariae (om. Bern. Par.) paulum a fuit quin occideretur;' *Phocas* v. 81 sqq.: 'iam *Maro* pulsus erat: sed viribus obvius ibat *Fretus* amicorum clipeo, cum paene nefando Ense perit.' e. q. s.

²⁾ *Menalcam* in ecloga IX per allegoriam *Virgilium* intelligendum esse *Quintilianus* quoque VIII 6, 47 docet.

cos, Romam iterum se contulit, consilio, si vera scholiasta Bernensis tradit, Cornelii Galli et Maeri adiutus¹⁾. legerunt elegantissimum carmen sine dubio *Maecenas* et *Caesar*, quorum illamquamvis nondum tanta familiaritate Vergilium amplexus impetravit a principe, ut aliis ni fallor praediis illi donatis vitae et securitati poetae consuleretur. quem ne optasse quidem probabile est ut in rapacium atrociumque militum vicinia novis periculis expositus maneret²⁾. sive autem aliquae Vari quoque in commendando imperatoris magnificentiae poeta partes fuerant sive veteris eiusque potentis, quamquam inertis amici favorem noluit Vergilius plane amittere, cum laudes eius heroico carmine celebrandi consilium deposuisset (ecl. VI 2 sqq.), nomen tamen Vari praescripsit eclogae sextae, qua Sileni persona usus et Sironis communis magistri suavem memoriam ei lepide revocaret et Cornelii Galli poetae tum elegiarum clarissimi ingenium divinum veneraretur³⁾. Asinio vero Pollioni duplici poemate gratias rettulit: ecloga quarta, qua saeculum aureum consulis patris et filii, qui postea C. Asinius Gallus Saloninus appellatus est, nascentis anno 714

¹⁾ *hinc Romam pergat, et Cornelius atque Macer illi consilium dant* schol. Bern. in ecl. IX argum.

²⁾ *sed postea et per Maecenatem et per triumviros agris dividendis Varum, Pollionem et Cornelium Gallum fama carminum commendatus Augusto et agros recepit et deinceps imperatoris familiari amicitia* (sic. Sang. amore Bern. Par.) *perfruitus est* Donatus praef. bucol. § 63. negligenter ex Suetonio excerpta videntur quae in vita p. 58 sq. Donatus narrat: *ad bucolica transiit maxime ut Asinium Pollionem Alphenumque Varum et Cornelium Gallum celebraret quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis triumvirorum iussu trans Padum dividebantur, indemnem se praestitissent. deinde (edidit) georgica in honorem Maecenatis, qui sibi medioeriter adhuc noto operam tulisset* e. q. s. (vide supra). similia, sed contractiora etiam Probus p. 53: *restitutus beneficio Alpheni Vari, Asinii Pollionis et Cornelii Galli, quibus in bucolicis adular.* nec Phocas vv. 84—93 rerum ordinem accuratius quamvis verbosius persecutus est. cf. praeterea de Maecenate Martialis VIII 56, 9 et carmen ad Pison. 218 sqq.

³⁾ *Varum ergo prosequitur hoc epicedio . . . Silenum vero Sirona philosophum vult intellegi: nam Sirona et Vergilius audivit* schol. Veron. ad ecl. VI 6. cetera vide supra et in prolegg. p. 8, 11. quae apud Servium ad ecl. VI 26 in solo Leidensi n. 80 teste G. Thilone leguntur *haec autem omnia de Sileno a Theopompo*

auspiciis promissum splendidissime persequitur¹⁾, et octava revertenti ex Illyria imperatori dedicata, qua dignis Sophocleo cothurno, h. e. ipsius Pollionis arte, factis eius canendis nunc quidem inparem se professus ex bucolico interim genere, cuius colendi ille auctor fuerat, carmina duo Theocritea (II III) alterum alteri opposuit.

Denique Cornelii Galli deserti a Cytheride mima *sollicitos amores* in extrema eclogarum decima festive ita consolatur, ut quanto ipse illum amore crescente in horas (v. 73) amplectatur tenerrimis in exordio et in fine poematis verbis significet²⁾.

Cum recitata bucolica ingenti favore ab ipso poeta³⁾ tum in scaena per cantores crebro pronuntiata esse accepimus⁴⁾ eo quidem successu, ut quondam surrexisse universus populus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus esse narretur⁵⁾. ergo cantata cum fuerint, mirum non est quod ad melicorum carminum similitudinem stropharum quandam aequabilitatem prae se ferunt.

in eo libro, qui Thaumasia appellatur, conscripta sunt. ipse ad commendationem addidit fallor an demonstrant ipsum poetam ut Statius silvis prosa oratione eclogis vel singulis vel universis praefatum fuisse?

¹⁾ *quidam Saloninum, Pollionis filium, accipiunt. alii Asinium Gallum, fratrem Salonini, qui prius natus est, Pollione consule designato. Asconius Pedianus a Gallo audisse se refert, hanc eclogam in honorem eius factam* Servius ad ecl. VI 11. *Gaius Asinius Gallus orator, Asinii Pollionis filius, cuius etiam Vergilius meminit* Hieronymus Ol. 128, 2 (p. 86 R.): cf. Macrobius Sat. III 7. varias ariolationes tradit schol. Bern. in ecl. IV. argum. praeterea vide de hac et de octava ecloga prolegg. p. 9 et 11.

²⁾ Cf. Servius et schol. Bern. ad ecl. X 1, prolegg. p. 10 sq.

³⁾ *dicitur autem* (ecloga VI) *ingenti favore a Vergilio esse recitata, adeo ut cum eam postea Cytheris meretrix cantasset in theatro* e. q. s. absurda apud Servium ad ecl. VI 11, de quibus vide prolegg. 8 sq.

⁴⁾ Cytherida eclogam sextam in theatro cantavisse non incredibile. *bucolica eo successu edidit, ut in scaena quoque per cantores crebro pronuntiarentur* Donatus in vita p. 60 R.

⁵⁾ Narrat Maternus in dialogo de orat. c. 13: *malo securam et quietum Vergilii secessum, in quo tamen neque apud divum Augustum gratia caruit neque apud populum Romanum notitia. testes Augusti epistolae, testis ipse populus, qui auditis in theatro Vergilii versibus surrexit universus et forte praesentem spectantemque Vergilium veneratus est sic quasi Augustum*; quae non possunt nisi ad bucolica referri.

quam cum olim in annal. philoll. LXXV p. 65 sqq. enarraverim, hic signis ad textum adpositis indicavi¹⁾.

Inde Maecenatis suasu ut desertorum per bella civilia agrorum Italicorum culturam novo studio resuscitaret georgica vel septem vel novem annis scripsit emendavitque²⁾: et recitavit perfectum opus per continuum quadriduum reverso ex Asia post Actiacam victoriam atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti Caesari praesente Maecenate, qui legendi vices susciperet, aestate anni 725 ante triumphum mense Sextili Romae actum, ut incohavisse anno 716 vel 717 videatur³⁾. quod tamen interfecto propria manu Cornelio Gallo anno 728 ita retractavit, ut in quarti libri parte altera pro laudibus amici olim Aegypto praefecti, cuius auctoritate Aristaei inventum firmaverat, Orphei fabulam insereret⁴⁾. nec desunt alia secundarum curarum vestigia, quamquam ipsum auctorem iterum georgica edidisse nec

¹⁾ Corripisse meo quidem sensu magis quam restituisse artem Vergilianam videtur qui nuper de eclogarum compositione in annal. philoll. 1865 p. 344 sqq. disseruit R. Peiper. quae autem in libro 'de poetarum Graecorum bucolicorum — carminibus in eclogis a Vergilio expressis' contra me disputaverat Gust. Ad. Gebauer iam maximam partem sibi ipsi displicere ante aliquot annos litteris mihi significavit.

²⁾ 'item proposuit Maecenas georgica, quae scripsit emendavitque septem annis' (VI vel VII annis Bern. quadriennio Guelferb.) Servius in vita p. 1. 'bucolica triennio (biennio Sang.), georgica VII, Aeneida XI perfecit annis' Donatus p. 60 R. 'georgica septennio scripsit, georgica Maecenas postulavit' Iunilius in schol. Bern. ad ge. I 1. 'post haec' (bucolica) 'ruris praecepta colendi Quatuor exposuit libris: en commoda terrae Edocuit geminis anno minus omnia lustris' Phocas v. 96 sqq. cf. prolegg. 13 sq.

³⁾ 'georgica reverso post Actiacam victoriam Augusto atque Atellae reficiendarum faucium causa commoranti per continuum quadriduum legit suscipiente Maecenate legendi vicem quotiens interpellaretur ipse vocis offensione' Donatus p. 61 R. vide prolegg. p. 14 sqq.

⁴⁾ 'fuit autem' (Gallus) 'amicus Virgiliti adeo, ut quartus georgicorum a medio usque ad finem eius laudes teneret, quas postea iubente Augusto in Aristaei fabulam commutavit' Servius ad ecl. X 1. 'sane sciendum ut supra diximus ultimam partem huius libri esse mutatam. nam laudes Galli habuit locus ille, qui nunc Orphei' (sic Vat. Aristei et Orfei Par. Aristaei Orphei Voss. et Barb.) 'continet fabulam, quae inserta est, postquam irato Augusto Gallus occisus est' idem ad ge. IV 1. cf. prolegg. 22 sq.

traditum nec probabile est: immo schedas, in quibus multa et mutaverat et addiderat, relictas ab eo amici post mortem ut potuere in ordinem redegerunt¹⁾.

Georgica dum scribit poeta plurimum temporis in Campania ceterisque Italiae meridionalis regionibus, maxime autem Neapoli in urbe 'studiis ignobilis otii' (ge. IV 563 sqq.) florente²⁾ consumpsit. etiam rus Nolae propinquum habuisse videtur³⁾ nec omnino improbabile, Campanis potissimum praediis Caesarem Andini agri damnum compensavisse. Tarentum⁴⁾ se vidisse narrat ge. IV 125, et vere anni 717 cum Vario Plotioque Sinuessae Horatio tunc familiarissimo cum occurrisset inproviso, una cum eo et Maecenate aliisque iter Brundisium confecit⁵⁾. nam tradiderat Maecenati Horatium ex Graecia a. 713 reducem iam anno 715 exeunte vel

¹⁾ Vide prolegg. caput III.

²⁾ Cf. Strabo V 7 p. 246 ἐπιτείνουσι δὲ τὴν ἐν Νεαπόλει διαγωγὴν τὴν Ἑλληνικὴν οἱ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀναφοροῦντες δεῦρο ἡσυχίας χάριν τῶν ἀπὸ παιδείας ἐργασαμένων ἢ καὶ ἄλλων διὰ γῆρας ἢ ἀσθένειαν ποθοῦντων ἐν ἀνέσει ζῆν. καὶ τῶν Ῥωμαίων δ' ἐνιοὶ χαίροντες τῷ βίῳ τούτῳ, θεωροῦντες τὸ πλεῖθος τῶν ἀπὸ τῆς αὐτῆς διαγωγῆς ἐπιδημοῦντων ἀνδρῶν, ἄσμενοι φιλοχροῦσι καὶ ζῶσιν αὐτόθι. Horatii epod. V 43 Ovidii metam. XV 712 Statii silv. III 5, 85 Sili XII 31 sqq.

³⁾ 'scriptum in quodam commentario repperi versus istos a Vergilio ita primum esse recitatos atque editos: "talem . . . Nola iugo" (ge. II 225); "postea Vergilium petisse a Nolanis aquam uti duceret in propinquam rus, Nolanos beneficium petitum non fecisse, poetam offensum nomen urbis eorum quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo derasisse oramque pro Nola mutasse atque ita reliquisse: "et vicina V. ora iugo" Gellius VI (VII) 20. cf. Philargyrius ad ge. II 225 Servius ad Aen. VII 740. defendi narrationem in prolegg. 23 sq.

⁴⁾ Propertius quod eleg. III 34, 67 Vergilium 'umbrosi subter pineta Galaesi', h. e. in agro Tarentino canere bucolica dicit, certa memoriae fide non nititur: immo illa orta sunt partim ubi 'viridis teneras praetexit harundine ripas Mincius' (ecl. VII 12), partim in urbe. sed fortasse Ioh. Chr. Iahnus in praef. p. VII recte coniecit, cum illa scripsit Propertius a. 728 in agro Tarentino versatum esse Vergilium.

⁵⁾ 'postera lux oritur multo gratissima; namque Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque Occurrunt, animae quales neque candiores Terra tulit neque quis me sit devinctior alter. O qui complexus et gaudia quanta fuerunt! Nil ego contulerim iucundo sanus amico.' Horatius sat. I 5, 39 sqq. cf. Franckii fastos Hor.

ineunte 716, quo quidem tempore ipsius et fama ingenii inter doctos adulta et gratia apud Maecenatem satis firmata erat¹⁾. atque ut singulas georgicon partes amicis vel legi vel mitti iam ante recitationem anni 725 par erat, ita Horatius iam multo ante et georgicon I 512 sq. in satira I 1, 114 sq. imitatus est et in I 10, 44 'molle atque facetum' gaudentes rure Camenas Vergilio adnuisse praedicavit.

Ad Octaviani res gestas versibus exornandas se mox adgressurum esse promiserat ge. III 46 sqq., sed mutato non sine ipsius imperatoris auctoritate consilio interim Iuliae gentis et populi Romani origines *Aeneide* condere instituit statim post absolutam georgica, h. e. anno 725. cui componendae omne quod supererat vitae tempus undecim annis impendit²⁾. nascentis poematis famam anno 728 vel 729 auspicatus est Propertius his versibus III 34, 59 sqq.:

me iuvat hesternis positum languere corollis,
quem tetigit iactu certus ad ossa deus,
Actia Vergilium custodis litora Phoebi,
Caesaris et fortes dicere posse rates,
qui nunc Aeneae Troiani suscitât arma
iactaque Lavinis moenia litoribus.
cedite Romani scriptores, cedite Graei:
nescio quid maius nascitur Iliade.³⁾

p. 96 sqq. cum v. 93 Varius solus narretur Canusii discessisse, Vergilius cum ceteris Brundisium usque viam carpsisse statuendus est.

¹⁾ 'nulla etenim mihi te fors obtulit: optimus olim Vergilius, post hunc Varius dixere quid essem' Horatius sat. I 6, 54 sq. conl. II 6, 40.

²⁾ 'postea ab Augusto Aeneidem propositam scripsit annis undecim; sed nec emendavit nec edidit' Servius in vita. 'Aeneida XI perfecit annis' Donatus p. 60, 6 R. 'bis sena volumina sacro Formavit donata duci trieteride quarta' Phocas v. 100 sq. 'novissimum Aeneidem inchoavit, argumentum varium ac multiplex et quasi amborum Homeri carminum instar, praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune et in quo, quod maxime studebat, Romanas simul urbis et Augusti origo confineretur.' Donatus p. 59, 8 R. 'Aeneida ingressus bello Cantabrico * * *' Probus in vita p. 1 K (53, 11 R.). vide prolegg. 56 sqq.

³⁾ 'Aeneidos vixdum coeplae tanta extitit fama, ut Sextus Propertius non dubitaverit sic praedicare: cedite . . . Iliade' Donatus

quibus apparet, ne tum quidem spem depositam fuisse fore ut post perfectam Aeneidem Actiacum bellum peculiari poemate Vergilius describeret¹⁾.

Splendidissimi operis cognoscendi cupidus Augustus cum adversus Cantabros bellum gereret anno 728 vel 729 'supplicibus atque etiam minacibus per iocum litteris efflagitabat, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt, vel prima carminis hypografe vel quodlibet colon mitteretur' a poeta²⁾. qui respondit epistula, qua post prooemium tale 'ego vero frequentes a te litteras accipio' infra 'de Aenea quidem' inquit 'meo, si mehercle iam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem: sed tanta incognata res est, ut paene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar, cum praesertim ut scis alia quoque studia ad id opus multoque potiora impertiar³⁾.' multo demum post tres omnino libros Augusto recitavit: constat de *quarto*, nisi quod tempus recitationis ignoratur, et de *sexto*, quod paulo post Marcelli mortem intra annos 731 et 732 exeuntes pronuntiavit Augusto et Octaviae⁴⁾. quae ad pulcherrimos de Marcello versus (860 sqq.) re-

p. 61, 9 R. complectitur in hac elegia Propertius universam Vergilii poesin triplici genere probatam: nam post Aeneidis argumentum georgicon libros I et II, deinde eclogas tangit VII (Thyrsin), V (Daphnin), III (*aurea mala* v. 71), I (Tityrum), II (Alexin), nec obtreclatorum livorem praeterit (v. 81 sqq.). quod Apolline dignum carmen v. 79 sq. laudat, nescio an de nova aetate vaticinium ecl. IV intellegi velit; v. 70 autem ad ecl. IX 6 nullo modo referri licet nec potest spectare nisi ad ecl. II 40 sqq.

¹⁾ Cf. prolegg. 57 sq.

²⁾ Donatus narrat p. 61, 14 R. (emendavit Hagenus)

³⁾ 'audi quid de operis sui multiplici doctrina ipse' (Vergilius) 'pronuntiet. ipsius enim Maronis epistola, qua compellat Augustum, ita incipit: "ego . . . accipio" et infra: "de Aenea" e. q. s. Macrobius Sat. I 24, 11 cf. prolegg. 58.

⁴⁾ 'cui' (Augusto) 'tamen multo post perfecta quoque demum materia tres omnino libros recitavit, secundum. (immo primum Hagenus l. 1. p. 687.) quartum et sextum' Donatus p. 62, 1 R. 'dicitur autem ingenti affectu hos versus pronuntiasse, cum privatim paucis praesentibus recitaret Augusto. nam recitavit voce optima primum libros tertium et quartum.' (sic Lionis et Thilonis libri: III. I. VI. Bern. 172, M. I. VI. Bern. 167, unde primum quartum sextum scribendum videtur Hageno l. 1. fortasse recte.) Servius ad Aen. IV 324 cf. prolegg. 58 sq. 69 sq. 87.

centi dolore oppressa defecisse fertur, fletusque parentum ac gemitus extremam libri partem prosecutus est¹⁾.

Ceterum scriptus post annum 725, sed ante 727 a. d. XVI Kal. Febr. *primus*, post eundem terminum ortus *octavus, tertius* post a. 726, nec recentior eo *quartus*, sed est *secundus*. post tertium et quartum et noni partem certe natus est *quintus*, sed *nonus* quoque post tertium et quartum. ultimo vitae anno in *septimo* poeta fuit occupatus²⁾. reliquis libris temporis nota non inest. crescebat autem cum opere gravissimo amicorumque qui partes cognoverant admiratione desiderium, ut tandem aliquando perfectum videret dignumque et sua spe et aliorum praeconiis edere posset. hoc animo dum in Surrentino litore habitabat votum Veneri concepit quod in catal. VI legitur.

Anno aetatis quinquagesimo secundo impositurus Aeneidi summam manum statuit in Graeciam et in Asiam secedere triennioque continuo nihil amplius quam emendare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. sed cum ingressus iter Athenis occurrisset Augusto ab oriente Romam revertenti destinassetque leni principis vi coactus, ut opinor, non absistere atque etiam una redire, dum Megara vicinum oppidum ferventissimo sole cognoscit, languorem nactus est eumque non intermissa navigatione auxit ita ut gravior aliquanto Brundisium appelleret, ubi diebus paucis obiit XI Kal. Octobr. Cn. Sentio Q. Lucretio coss. h. e. anno 735/19³⁾.

¹⁾ (recitavit) *sexum, sed hunc notabili Octaviae adfectione, quae cum recitationi interesset ad illos de filio suo versus "tu Marcellus eris" defecisse fertur atque aegre focillata est* Donatus p. 62 R. *et constat hunc librum tanta pronuntiatione Augusto et Octaviae esse recitatum, ut fletu nimio imperarent silentium, nisi Virgilius finem esse dixisset, qui pro hoc aere gravi donatus est.* Servius ad Aen. VI 862. cf. prolegg. 60. de inepta Erotis libriarii fabula a Donato p. 62, 6 sqq. et Servio ad Aen. VI 165 narrata quid sentiam dixi in prolegg. 63 sq. cf. Hageni l. l. p. 686.

²⁾ Demonstravi haec in prolegomenon capite sexto.

³⁾ Donati p. 62 sq. R. verba sunt. (destinasset scripsi: *destinare, destinaret, distinaret* libri) *Vergilius Brundisi moritur Sentio Saturnino et Lucretio Cinna* (immo Vespillone) *coss.* Hieronymus Ol. 190. 2. *decessit in Calabria annum agens quinquagesimum et primum* Probus in vita p. 1 K. *vixit annos LII* vita Bern. cf. Phocas v. 102 sqq. falsa narrat personatus Servius in vita p. 2 L. *periiit autem Tarenti in Apuliae civitate: nam dum Metapontum cupit videre, valetudinem ex solis ardore contraxit* (periiit om. BP), quae unde

*Ossa eius Neapolim translata sunt tumuloque condita, qui erat via Puteolana intra lapidem secundum.*¹⁾ sepulcro eius titulus inscriptus legebatur, quem moriens ipse dictavisse fertur²⁾, hic:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua rura duces³⁾.

desertum prope monumentum Silius Italicus, qui summo studio venerabatur Vergilium, die natali poetae ut templum adire solebat⁴⁾.

Corpore et statura Vergilius fuerat grandi, aquilo colore, facie rusticana⁵⁾. valetudine iam antea usus fuerat varia: nam

hausta sint nescio: desunt in libris Burmannianis et teste Hageno l. l. p. 682 adn. in Bernensibus 167. 363. cf. Reifferscheidii quaestt. Suetonn. 399.

Futtillis allegoristae nescio cuius apud Servium et in Bernensibus quoque scholiis leviter significata fabula est adludere ecl. III 74 sq. (scriptae illius anno 712) ad bellum Actiacum, quo properantem a. 723 Caesarem sequi frustra voluisset Vergilius, quem detestantem bella civilia tale umquam consilium in animum induxisse ab omni abhorret probabilitate.

Item vel temporum rationes satis docent, negotiatorem quendam (ut ait Acron ad Hor. carm. IV 12) Vergilium, non poetam nostrum significari Horatii carm. I 3 et IV 12, siquidem libri tres priores carminum editi sunt anno 730 extremo vel ineunte 731, quattuor vel quinque annis antequam in Graeciam profectus est Maro, quartus autem anno demum 741, ut iam in Elysio fuerit ille cum Horatius *adduxere sitim tempora, Vergili* scripsit. cf. Lachmannus in diurn. univ. litt. 1836 vol. II p. 259 et Franckii fast. Hor. p. 64 sqq.

¹⁾ Donati p. 63 R. verba sunt. *ossa eius Neapolim translata in secundo ab urbe* (non *Urbe*) *militario sepeliuntur* Hieronymus l. l. Probi verba vide infra.

²⁾ *titulo istiusmodi suprascripto, quem moriens ipse dictaverat* Hieronymus. *in quo distichon fecit tale* Donatus p. 63 R. *in eius sepulcro, quod est in via Puteolana, hoc legitur epigramma* Probus in vita p. 1 K.

³⁾ Extat apud Probum Donatum Hieronymum, nisi quod v. 2 *pascua poma phruges* Probi Vaticanus exhibet, quae interpolator nescio quis lusit.

⁴⁾ Narrat aequalis Silius Plinius epist. III 7, 8 de eo: *nam Vergilii imagines ante omnes quas coemerat venerabatur diemque natalem eius religiosius quam suum celebrabat, Neapoli maxime, ubi monumentum eius adire ut templum solebat.* cf. Martialis XI 48 et 49, quorum posterius emendavi in prolegg. 123.

⁵⁾ Donatus p. 56, 1 R. *hic dicitur pulsare Vergilium, qui*

plerumque a stomacho et a faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam saepe reiecit; cibi vini que minimi fuit¹⁾. ergo non tantum ut strepitum urbis vitaret et liberum carminibus meditando animo otio et solitudine faceret, sed curandae salutis causa 'secessu Campaniae Siciliaeque plurimum' usus est²⁾. Romae domum habuit Esquiliis iuxta hortos Maecenatianos³⁾. ex liberalitatibus amicorum, Augusti imprimis, qui ob Aeneidis libri sexti recitationem gravi aere eum donavisse traditur⁴⁾, possedit prope centiens sestertium⁵⁾. heredes honorum testamento instituit fratrem alio patre natum minorem, qui solus ex propinquis superstes erat, *Valerium Proculum* ex dimidia parte, ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, ex reliqua L. Varium et Plotium Tuccam⁶⁾.

Nam parentes iam grandis amiserat, patrem quidem captum oculis, et duos fratres germanos, *Silonem* inpuerem, *Flaccum*

indecori et corporis et habitus fuit Acron ad Hor. sat. I 3, 32, quae quamvis inepta tamen vera de facie poetae memoria niti videntur. scripta et imagines Vergilii paulum afuisse dicitur a Suetonio Caligula (c. 34) quin ex omnibus bibliothecis amoveret; venerabatur imagines eius 'ante omnes quas coemerat' Silius Italicus teste Plinio epist. III 7, 8; item Alexander Severus imaginem eius 'cum Ciceronis simulacro in secundo larario habuit, ubi et Achillis et magnorum virorum' ut ait Lampridius de Alex. Sev. 31. vultus eius ut membranae a Martiale XIV 186 descriptae prima tabella gerebant, ita codex Romanus (n. 3867) exhibet, sed quae fide incertum.

¹⁾ Donatus p. 56 R. *crudum* Horatius dicit sat. I 5, 49 ubi vide scholia.

²⁾ Donati p. 57, 15 R. verba.

³⁾ Donatus p. 57, 14 R.

⁴⁾ Servius ad Aen. VI 862, vide supra. cf. Horatius epist. II 1, 246 sq.

⁵⁾ 'posse dit prope centiens sestertium ex liberalitatibus amicorum' Donatus p. 57 R. 'ab Augusto usque ad sestertium centies donatus est' Probus p. 1 K. 'ingera perdiderat miserae vicina Cremonae' (Vergilius) . . . 'risit Tuscus eques paupertatemque malignam Repulit et celeri iussit abire fuga. Accipe divitias et vatum maximum esto' e. q. s. Martialis VIII 56. 'nam si Vergilio puer et tolerabile desset Hospitium, caderent omnes a crinibus hydri, Surda nihil gemeret grave bucina' Iuvenalis VII 67 sqq. 'dignitate eques' in sola Bernensi vita dicitur.

⁶⁾ 'heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum fratrem alio patre, ex quarta Augustum' e. q. s. Donatus p. 63 R. 'heredibus Augusto et Maecenate cum Proculo minore fratre' Probus p. 1 K.

iam adultum¹⁾. mortuo patre Magia Polla alteras nuptias inierat, unde filius ille natus est Valerius Proculus. Flacco mater superstes fuit, sed luctu fracta non diu supervixisse narratur²⁾. neque uxorem poeta noster umquam habuit neque de amica quidquam fide digni traditum est. nam refutavit Asconius Pedianus vulgatam ab obtrectatoribus famam consuetudinem ei fuisse cum *Plotia Hieria*, L. Varii amica, Maecenatis olim ancilla³⁾. pronior in pueris praesertim eruditos maxime dilexisse fertur cuius supra mentio facta est *Alexandrum* a Pollione et *Cebetem*, qui et poeta erat, a Maecenate sibi donatum⁴⁾. incertior memoria est de cho-

¹⁾ Donati p. 57 R. verba sunt, qui quae addit 'cuius exitum sub nomine *Daphnidis* deflet,' vana allegoristarum fabella est, repetita a Servio, Philargyrio, schol. Bern. ad ecl. V arg. et 20 (cf. anthol. Lat. II 202 B.); ex quibus alii alia pugnancia inter se solaque perversitate similia somniaverunt.

²⁾ 'superstite enim *Maia* matre *Flaccus* defunctus est, quae eius mortem graviter ferens non diu supervixit. *Iunithus* dicit' schol. Bern. ad ecl. V 22.

³⁾ De hoc nomine disputantem vide H. Hagenum in prolegg. meorum praef. p. VI sqq. atque in Donati p. 57, 4 R. loco hoc 'vulgatum est consuesse eum et cum *Plotia Hieria*, sed *Asconius Pedianus* adfirmat ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a *Vario* ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse' Pithoeanum codicem saeculi IX *ieria* exhibere nuperime testatus est Woelfflin in Philol. XXIV 153. 'tres dicitur amasse Vergilius: *Alexandrum* quem donavit ei *Pollio*, et *Cebetem* puerum cum *Ieria* (vulg. *Lertia*) puella, quos a *Maecenate* dicitur accepisse' Servius ad ecl. II 15. [*cantharus*.] allegorice quidam volunt *Hieriam* intellegi *Maecenatis* ancillam, quae dicitur *vinosa* fuisse; quidam *Vari* amicam' schol. Bern. ad ecl. VI 17 emendatum ab Hageno l. l. et ad scholl. Bern. p. 688. qui acute coniecit *Canthari* (an *Cantharae*?) nomen propter vinositatem *Hieriae* inditum fuisse. ergo anus temulenta (nam puellam in hoc vitium incidisse non putaverim) mortuis Vergilio et *Vario* turpe mendacium venditavisse videtur, quocum cf. quae de *Pompeio* et *Geminio Flora* meretrix grandis natu narravisse fertur apud *Plutarchum* Pomp. 2. de 're nusquam lecta', quam Servius ad ecl. III 20 allegoristas quosdam protulisse dicit, vide prolegg. p. 101.

⁴⁾ 'libidinis in pueros pronioris, quorum maxime dilexit *Cebetem* et *Alexandrum*, quem secunda bucolicorum ecloga *Alexim* appellat, donatum sibi ab *Asinio Pollione*, utrumque non ineruditum, *Cebetem* vero et poetam' Donatus p. 56 sq. R. 'uno tantum morbo laborabat: nam impatiens libidinis fuit' Servius in vita. addas locos supra laudatos et Iuvenalis VII 67 (69), denique catal. VIII.

raula quodam sive Antigene sive Antonio¹⁾. sed ante illos, priusquam a grammaticis, rhetoricis poeticisque adulescentiae studiis ad philosophiam transiret, coluisse formosos, inter quos *Sextus Sabinus* quidam maxime cordi erat, arguitur catal. VII v. 6 sq. praeterea ex familia Maronis novimus *Erotem* librarium et postea libertum, qui senex post mortem domini criticos mendaciis lusisse videtur²⁾.

Ceterum propter castitatem a Parthenopaeis appellatus Parthenias morum probitate et candore animi plurimorum sibi conciliavit amicitiam et favorem³⁾. Augusti quanta frui esset gratia epistolae imperatoris ad eum datae testabantur⁴⁾, qua tamen usus non est ad divitias per invidiam iniuriamque cumulandas, immo bona exulantis cuiusdam oblata ab illo non accepit⁵⁾. pariter ac Varius et Horatius Maecenati dilectus, illis autem ipsis et Plotio Tuccae longe coniunctissimus⁶⁾ tamen non is erat, cuius

¹⁾ *aut pastorem quendam pulcherrimum dicit aut choraulam significat, quem legitimus admodum a Virgilio fuisse dilectum* Servius ad eel. V 89. *Antigenes quidam pastor, allegorice Cornificius vel Antonius* schol. Bern. ad l. l.

²⁾ *Erotem librarium et libertum* (et libertum desunt apud Hagenum) *eius exactae iam senectutis tradunt referre solitum, quondam eum in recitando duos dimidiatos versus complexisse ex tempore. nam cum haec habere: "Misenum Aeolidem", adiecisse "quo non praestantior alter"; itemque hinc "aere cedere viros" simili calore elatum subiunxisse "Martemque accendere cantu," statimque sibi imperasse ut utrumque volumini adscriberet* Donatus p. 63 R. cf. Servius ad Aen. VI 165. de hac fabula quid statuentium videatur dixi in prolegg. 63 sq.

³⁾ *cetera sane vitae et more et animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit.* Donatus p. 57 (in quibus more scripsi pro ore, quod non intellego. proba Bern. m. 1, unde probatum coni Hag.) *adeo autem verecundissimus fuit, ut ex moribus cognomen accepit* (sic P, acciperet rell.): *nam dictus est Parthenias, omni vita probatus* Servius in vita. *Partheniam dictum causa pudoris* Ausonius in centonis nuptialis epilogo appellat.

⁴⁾ Donatus p. 61, 14 R., Macrobius Sat. I 24, 11, dialogus de orat. 13, quos locos supra exscripsi. *dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni* Claudianus epist. ad Olybrium v. 23. in Campania commemoranti scripta est epistula cuius pauca verba servavit Priscianus p. 901 *excucurristi a Neapoli.*

⁵⁾ *bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere* Donatus p. 57, 11 R.

⁶⁾ *at neque dedecorant tua de se iudicia atque Munera, quae*

ingenium usu cotidiano facile exsplendesceret: tardissimus, ut diximus, in sermone, tardus in elaborandis quoque carminibus erat, quae ursae more se parere informia et lambendo paulatim effingere dicebat¹⁾. hac usus consuetudine georgica cum scriberet *traditur cotidie meditato mane plurimos versus dictare solitus ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere*²⁾.

Aeneida vero *prosa prius oratione formatam digestamque in XII libros particulatim componere instituit prout liberet quidque et nihil in ordinem arripiens. ac ne quid impetum moraretur quaedam imperfecta transmisit, alia levissimis versibus veluti fulsit, quos per iocum pro tibicinibus interponi aiebat ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent*³⁾.²⁾ quamque immensa studiorum vi hoc maxime poema instructum sit et ipse epistula supra laudata testatur et commentatores antiqui demirati sunt.

Recitavit Vergilius quo erat animi pudore carmina sua plerumque inter paucos, raro pluribus *et ea fere, de quibus ambigebat, quo magis iudicium hominum experiretur*⁴⁾.²⁾ sed voce optima, ingenti, ubi res ferebat, affectu, divino quodam spiritu

multa dantis cum laude tulerunt, Dilecti tibi Vergilius Variusque poetae e. q. s. Horatius epist. II 1, 247.

¹⁾ *cum georgica scriberet, traditur . . . redigere, non absurde carmen se (informe) more ursae parere dicens et lambendo demum effingere* Donatus p. 59 R. *amici familiaresque P. Vergilii in eis, quae de ingenio moribusque eius memoriae tradiderunt, dicere eum solitum ferunt, parere se versus more atque ritu ursino. nam ut illa bestia fetum ederet ineffigiatum informemque, lambendo id postea quod ita edidisset conformaret et fingeret, proinde ingenti quoque sui partus recentis rudi esse facie et imperfecta, sed deinceps tractando colendoque reddere eis se oris et vultus lineamenta* Gellius XVII 10. *Vergilium quoque paucissimos die composuisse versus auctor est Varius* Quintilianus X 3, 8: cf. X 1, 86.

²⁾ Donatus p. 59, 12 sqq. R.

³⁾ Donati p. 59 sq. R. verba sunt ab Hageno ad Sangallensis maxime fidem recognita, cuius tamen nec coniecturam probo firmatam nec verborum *nihil in ordinem arripiens* interpretatiorem p. 686 expositam. quorum simplex sententia haec est, extra rerum per singulos libros iam digestarum ordinem modo hac modo illa arrepta argumenti particula poetam versus composuisse.

⁴⁾ *recitavit et pluribus, sed neque frequenter et ea fere* e. q. s. Donatus p. 62, 4. R.

elatus tantaque suavitate tamque miris artis lenociniis usus pronuntiabat, ut Iulius Montanus poeta aequalis soleret dicere, involuturum se Vergilio quaedam, si et vocem posset et os et hypocrisin: eosdem enim versus ipso pronuntiante bene sonare, sine illo inanes esse mutosque¹⁾.

In eorum poetarum coetu, qui Maecenatis Augustique familiaritate fruebantur, cum Vario primo loco habitum²⁾ Horatius imprimis et dilexit ut optimum amicum et inter doctissimos carminum suorum iudices suspexit³⁾. Inter cives vero tanta vivus gloria et veneratione cultus est, ut 'si quando Romae, quo rarissime comiebat, viseretur in publico, sectantes demonstrantesque se subterfugeret in proximum tectum⁴⁾.'

¹⁾ 'pronuntiabat autem cum suavitate tum lenociniis miris. et Seneca tradidit, Iulium Montanum poetam solitum dicere' e. q. s. Donatus p. 61, 4 R. cf. praeterea de recitationibus libri quarti et sexti locos supra descriptos.

²⁾ 'Caecilio Plautoque dabit Romanus adeptum Vergilio Varioque?' Horatius a. p. 55. eiusdem in sat. I 10, 53 'forte epos acer Vt nemo Varius ducit; molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae' scripta eo tempore sunt quo Vergilius nondum adgressus erat ad Aeneida, quamquam ab Horatio ne alius quidem locis (velut carm. I 6, IV 2) in heroico genere commemoratur. edita demum Aeneide epicorum poetarum longe princeps habitus est. comprehendit anno 736 tria opera Ovidius in amorum I 15, 25 'Tityrus et fruges Aeneidae arma legentur, Roma triumphati dum caput orbis erit?' de Aeneide vero sola a. 751 scripsit in arte amatoria III 337 sq. 'et profugum Aenean, altae primordia Romae, Quo nullum Latio clarius extat opus,' et paulo post in remediis amoris v. 395 sq. 'tantum se nobis elegi debere fatentur, Quantum Vergilio nobile debet epos.'

³⁾ 'Plotius et Varius, Maecenas Vergiliusque, Valgius et probet haec Octavius optimus atque Fuscus' e. q. s. Horatius sat. I 10, 89, quae inter annos 716 et 725 scripta est.

⁴⁾ Donati p. 57, 9 R. sunt. quae ne ficta aut ambitiosius aucta putés cavetur quodammodo Apri in dialogo de or. 7 verbis, qui quamvis poetarum adversarius et oratoriae artis unice laudator, tamen quibus omnino honoribus tum temporis clara ingenia in urbe celebrata fuerint idoneus testis est. dicit enim: 'quos saepius' (oratoribus) 'vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus transeuntes nomine vocat et demonstrat? advenae quoque et peregrini iam in municipiis et coloniis suis auditos, cum primum urbem attigerunt, requirunt ac velut agnoscere concupiscunt.' quibus in theatro significationibus populus poetam salutaverit, supra narravimus.

Ac principem inter aequales poetas et fuisse et habitum esse vel obtrectatorum multitudo et malignitas demonstrat: inter quos Vergiliomastix *Numitorius* omnia Maronis carmina videtur cavillatus esse¹⁾, alius bucolicis *antibucolica* opposuit, nec defuerunt qui georgica insulse irriderent et carperent. maxime vero *Aeneida* vel antequam edita erat quasi campum elegerunt in quo strages invisae poetae ederent. vivo etiam singulorum librorum recitatione excitati imprimis Homericorum carminum furta obiecerunt, quod ipse crimen solitus est sic defendere, ut interrogaret 'cur non illi quoque eadem furta temptarent? verum intellecturos, facilius esse Herculi clavam quam Homero versus subripere²⁾.' imperfecta in praeclearo poemate multa esse ipse adeo sensit, ut priusquam Italiam relinqueret, egerit cum Vario, 'ut si quid sibi accidisset Aeneida combureret,' quod tamen is facturum se pernegarat. in extrema autem valetudine 'assidue scrinia desideravit crematurus ipse,' quae cum nemo ei attulisset, in testamento de ipsa Aeneide nominatim nihil cavit, verum scripta sua universa Vario ac Tuccae ea condicione legavit ut 'ne quid ederent quod non a se editum esset,' permisso igitur, ut bucolica et quae secundis curis retractaverat georgica iterum ederent, Aeneidis eos dumtaxat libros, quos ne recitaverat quidem publice, in vulgus exire noluit. sed hanc testamenti partem irritam esse voluit Augustus, cuius iussu Varius adiutore Plotio ea lege adstrictus, ut adderet nihil, edidit poema summatim emendatum ne suppletis quidem quos ipse poeta mancos reliquerat versiculis, recisis tamen fortasse quibusdam quae superflua viderentur³⁾.

¹⁾ De Numitorio ceterisque obtrectatoribus plura vide in prolegg. p. 96 sqq. cf. Hageni l. l. p. 686 sq.

²⁾ Donatus p. 66 R. Macrobius Sat. V 3, 46 Hieronymus praef. hebr. quaest. in Genesim t. III p. 301 Vall.: cf. prolegg. 112 sq.

³⁾ 'L. Varium et Plotium Tuccam, qui eius Aeneida post obitum iussu Caesaris emendarunt. de qua re Sulpicii Carthaginiensis extant huiusmodi versus' e. q. s. 'egerat cum Vario, priusquam Italia decederet, ut . . . combureret, sed is facturum se p. igitur in extrema valetudine assidue . . . ipse: verum nemine offerente nihil quidem nominatim de ea cavit. ceterum eidem Vario ac simul Tuccae scripta sua sub ea condicione legavit ne quid . . . esset. edidit autem auctore Augusto Varius, sed summatim emendata, ut qu'

Inter minora quae huic volumini vulgarem consuetudinem secuti adiunximus carmina certum videtur Vergilii non esse *catalecton* V et XI et *cirin* poema: genuina et omni dubitatione libera catal. VI. VII. VIII. X; nec cetera, si unum aut alterum exemeris, abiudicandi a nostro causam video idoneam. sed totam hanc quaestionem accuratius alio loco tractabo.

versus etiam imperfectos sicut erant reliquerit Donatus p. 63 R. *Varius et Tucca Vergilii et Horatii contubernales poetae habentur inlustres, qui Aeneidos postea libros emendarunt sub lege ea, ut nihil adderent* Hieronymus OL. 190, 4. *postea ab Augusto Aeneida propositam scripsit annis XI, sed nec emendavit nec edidit. unde eam moriens praecepit incendi. Augustus vero, ne tantum opus periret, Tuccam et Varium hac lege iussit emendare, ut superflua demerent, nihil adderent tamen* Servius in prooemio. *Aeneis servata ab Augusto, quamvis ipse testamento damnaverit, ne quid eorum quae non edidisset extaret, quod et Servius Varus (Maurus Iahnus) hoc testatur epigrammate* e. q. s. Probus in vita p. 2 K. cf. Plinius n. h. VII 30, 31 Gellius XVII 10, 7 Macrobius Sat. I 24, 6. disputavi de Vario Aeneidis editore in prolegg. cap. VII.

ECLOGA I

MELIBOEVVS.

TITYRVS.

- A α M. Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
silvestrem tenui musam meditaris avena:
nos patriae fines et dulcia linquimus arva.
β nos patriam fugimus: tu, Tityre, lentus in umbra
formonsam resonare doces Amaryllida silvas. 5
α T. O Meliboe, deus nobis haec otia fecit.
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
β ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
ludere quae vellem calamo permisit agresti. 10
B α M. Non equidem invideo, miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. en ipse capellas
protenus aeger ago: hanc etiam vix, Tityre, duco.
β hic inter densas corulos modo namque gemellos
spem gregis, a, silice in nuda conixa reliquit. 15
β saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset
de caelo tactas memini praedicere quercus.
γ sed tamen iste deus qui sit da, Tityre, nobis.
α T. Urbem quam dicunt Romam, Meliboe, putavi
stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus 20
pastores ovium teneros depellere fetus.
β sic canibus catulos similes, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.
β verum haec tantum alias inter caput extulit urbes,
quantum lenta solent inter viburna cupressi. 25
γ M. et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?
I α T. Libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat,

- α respexit tamen et longo post tempore venit,
 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit. 30
 α namque, fatebor enim, dum me Galatea tenebat,
 nec spes libertatis erat nec cura peculi.
 β quamvis multa meis exiret victima saeptis,
 pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
 non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat. 35
 $\Delta \alpha$ *M.* Mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares;
 cui pendere sua patereris in arbore poma:
 α Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,
 ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.
 $E \alpha$ *T.* Quid facerem? neque servitio me exire licebat 40
 nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
 α hic illum vidi juvenem, Meliboeae, quotannis
 bis senos cui nostra dies altaria fumant.
 α hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
 'pascite ut ante boves, pueri: summittite tauros.' 45
 $Z \alpha$ *M.* Fortunate senex! ergo tua rura manebunt.
 β et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
 limosoque palus obducat pascua iunco.
 β non insueta gravis temptabunt pabula fetas,
 nec mala vicini pecoris contagia laedent. 50
 β fortunate senex! hic inter flumina nota
 et fontis sacros frigus captabis opacum.
 γ hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
 Hyblaeis apibus florem depasta salicti
 saepe levi somnum suadebit inire susurro. 55
 γ hinc alta sub rupe canet frondator ad auras:
 nec tamen interea raucae tua cura palumbes
 nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
 $H \alpha$ *T.* Ante leves ergo pascentur in aequore cervi,
 et freta destituent nudos in litore pisces; 60
 α ante pererratis amborum finibus exul
 aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
 β quam nostro illius labatur pectore voltus.
 $\Theta \alpha$ *M.* At nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
 pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen 65
 et penitus toto divisos orbe Britannos.

- α en umquam patrios longo post tempore finis,
 pauperis et tuguri congestum caespite culmen
 post aliquot mea regna videns mirabor aristas?
 α impius haec tam culta novalia miles habebit, 70
 barbarus has segetes: en quo discordia civis
 produxit miseros, his nos consevimus agros!
 β insere nunc, Meliboeae, puros; pone ordine vites.
 ite meae quondam felix pecus, ite capellae.
 β non ego vos posthac viridi proiectus in antro 75
 dumosa pendere procul de rupe videbo;
 β carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
 florentem cytisum et salices carpetis amaras.
 I *T.* Hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
 fronde super viridi: sunt nobis mitia poma, 80
 castaneae molles et pressi copia lactis.
 et iam summa procul villarum culmina fumant,
 maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

II

- Formosum pastor Corydon ardebat Alexim,
 delicias domini; nec quid speraret habebat.
 tantum inter densas umbrosa cacumina fagos
 adsidue veniebat. ibi haec incondita solus
 montibus et silvis studio iactabat inani: 5
 a O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas?
 nil nostri miserere? mori me denique coges.
 a nunc etiam pecudes umbras et frigora captant;
 nunc virides etiam occultant spineta lacertos,
 a Thestylis et rapido fessis messoribus aestu 10
 alia serpullumque herbas contundit olentis.
 a at mecum raucis, tua dum vestigia lustris,
 sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.
 b nonne fuit satius, tristis Amaryllidis iras
 atque superba pati fastidia? nonne Menalcan, 15
 quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses?

a' O formonse puer, nimium ne crede colori!
 alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
 a' despectus tibi sum, nec qui sim quaeris, Alexi,
 quam dives pecoris, nivei quam lactis abundans: 20
 a' mille meae Siculis errant in montibus agnae;
 lac mihi non aestate novom, non frigore defit.
 a' canto, quae solitus, siquando armenta vocabat,
 Amphion Dircaeus in Actaeo Aracintho.
 b' nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi, 23
 cum placidum ventis staret mare; non ego Daphnim
 iudice te metuam, si numquam fallit imago.
 c O tantum libeat mecum tibi sordida rura
 atque humilis habitare casas, et figere cervos,
 haedorumque gregem viridi compellere hibisco! 30
 c mecum una in silvis imitabere Pana canendo.
 nec te paeniteat calamo trivisse labellum: 34
 haec eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas? 35
 d Est mihi disparibus septem compacta cicutis
 fistula, Damoetas dono mihi quam dedit olim
 et dixit moriens: 'te nunc habet ista secundum.'
 d praeterea duo nec tuta mihi valle reperti 40
 capreoli, sparsis etiam nunc pellibus albo;
 bina die siccant ovis ubera: quos tibi servo.
 e iam pridem a me illos abducere Thestylis orat;
 e et faciet, quoniam sordent tibi munera nostra.
 f Huc ades, o formonse puer: tibi lilia plenis 45
 ecce ferunt nymphae calathis; tibi candida nais,
 pallentis violas et summa papavera carpens,
 narcissum et florem iungit bene olentis anethi;
 tum casia atque aliis intexens suavibus herbis
 mollia luteola pingit vaccinia calta. 50
 f ipse ego cana legam tenera lanugine mala
 castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat;
 Pan primum calamos cera coniungere pluris 32
 instituit, Pan curat ovis oviumque magistros.
 dixit Damoetas, invidit stultus Amyntas. 39

addam cerea pruna: honos erit huic quoque pomo;
 et vos, o lauri, carpam et te, proxuma myrte,
 sic positae quoniam suavis miscetis odores. 55
 g Rusticus es, Corydon: nec munera curat Alexis,
 nec, si muneribus certes, concedat Iollas.
 g heu heu! quid volui misero mihi? floribus austrum
 perditus et liquidis inmisi fontibus apros.
 h Quem fugis, a, demens? habitarunt di quoque silvas 60
 Dardaniusque Paris. Pallas quas condidit arces
 ipsa colat: nobis placeant ante omnia silvae.
 h torva leaena lupum sequitur, lupus ipse capellam,
 florentem cytisum sequitur lasciva capella,
 te Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas. 65
 i Aspice, aratra iugo referunt suspensa iuveni,
 et sol crescentis decedens duplicat umbras.
 me tamen urit amor: quis enim modus adsit amori?
 a Corydon Corydon, quae te dementia cepit!
 i semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est. 70
 quin tu aliquid saltem potius, quorum indiget usus,
 viminibus mollique paras detexere iunco?
 invenies alium, si te hic fastidit, Alexim.

III

MENALCAS. DAMOETAS. PALAEMON.

a M. Dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?
 D. Non, verum Aegonis; nuper mihi tradidit Aegon.
 b M. Infelix o semper ovis pecus! ipse Neaeram
 dum fovet ac ne me sibi praeferat illa veretur, 5
 hic alienus ovis custos bis mulget in hora;
 et sucus pecori et lac subducitur agnis.
 D. Parcius ista viris tamen obicienda memento.
 novimus et qui te transversa tuentibus hirquis,
 et quo — sed faciles nymphae risere — sacello.
 M. Tum, credo, cum me arbustum videre Miconis 10
 atque mala vitis incidere falce novellas.

D. Aut hic ad veteres fagos cum Daphnidis arcum
fregisti et calamos: quae tu, perverse Menalca,
et cum vidisti puero donata, dolebas,
et si non aliqua nocuisses, mortuus esses. 15
M. Quid domini faciant, audent cum talia fures?
non ego te vidi Damonis, pessime, caprum
excipere insidiis, multum latrante Lycisca?
et cum clamarem 'quo nunc se proripit ille?
Tityre, coge pecus!' tu post carecta latebas. 20
D. An mihi cantando victus non redderet ille,
quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
si nescis, meus ille caper fuit; et mihi Damon
ipse fatebatur; sed reddere posse negabat.
M. Cantando tu illum? aut umquam tibi fistula cera 25
iuncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
stridenti miserum stipula disperdere carmen?
D. Vis ergo inter nos quid possit uterque vicissim
experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus) 30
depono: tu dic, mecum quo pignore certas.
M. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
est mihi namque domi pater, est iniusta noverca;
bisque die numerant ambo pecus, alter et haedos.
verum, id quod multo tute ipse fatebere maius, 35
(insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
fagina, caelatum divini opus Alcimedontis:
lenta quibus torno facili super addita vitis
diffusos edera vestit pallente corymbos.
in medio duo signa, Conon et — quis fuit alter, 40
descripsit radio totum qui gentibus orbem,
tempora quae messor, quae curvos arator haberet?
necdum illis labra admovi, sed condita servo.
D. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
et molli circum est ansas amplexus acantho, 45
Orpheaquæ in medio posuit silvasque sequentis;
necdum illis labra admovi, sed condita servo:
si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.
M. Numquam hodie effugies; veniam quocumque vocaris.

audiat haec tantum — vel qui venit ecce Palaemon. 50
efficiam, posthac ne quemquam voce lacessas.
D. Quin age, siquid habes; in me mora non erit ulla,
nec quemquam fugio: tantum, vicine Palaemon,
sensibus haec imis (res est non parva) reponas.
P. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba. 55
et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos;
nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.
incipi, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca.
alternis dicetis: amant alterna camenae.
D. Ab Iove principium musae: Iovis omnia plena; 60
ille colit terras; illi mea carmina curae.
M. Et me Phoebus amat; Phoebus sua semper apud me
munera sunt, lauri et suave rubens hyacinthus.
D. Malo me Galatea petit, lasciva puella,
et fugit ad salices, et se cupit ante videri. 65
M. At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas,
notior ut iam sit canibus non Delia nostris.
D. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi
ipso locum, aëriae quo congressere palumbes.
M. Quod potui, puero silvestri ex arbore lecta 70
aurea mala decem misi; cras altera mittam.
D. O quotiens et quae nobis Galatea locuta est!
partem aliquam, venti, divom referatis ad auris!
M. Quid prodest, quod me ipse animo non spernis,
Amynta,
si, dum tu sectaris apros, ego retia servo? 75
D. Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iolla;
cum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
M. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit,
et longum 'formonse, vale vale', inquit, 'Iolla.'
D. Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres, 80
arboribus venti, nobis Amaryllidis irae.
M. Dulce satis umor, depulsis arbutus haedis,
lenta salix feto pecori, mihi solus Amyntas.
D. Polio amat nostram, quamvis est rustica, musam:
Pierides, vitulam lectori pascite vestro. 85
M. Polio et ipse facit nova carmina: pascite taurum,

- iam cornu petat et pedibus qui spargat harenam.
 ♂ *D.* Qui te, Polio, amat, veniat quo te quoque gaudet;
 mella fluant illi, ferat et rubus asper amomum.
 ♂ *M.* Qui Baviuum non odit, amet tua carmina, Maevi, 90
 atque idem iungat volpes et mulgeat hircos.
 ι *D.* Qui legitis flores et humi nascentia fraga,
 frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.
 ι *M.* Parcite, oves, nimium procedere: non bene ripae
 creditur; ipse aries etiam nunc vellera siccata. 95
 ζ *D.* Tityre, pascentes a flumine reice capellas:
 ipse, ubi tempus erit, omnis in fonte lavabo.
 ζ *M.* Cogite oves, pueri; si lac praeceperit aestus,
 ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
 λ *D.* Heu heu, quam pingui macer est mihi taurus in
 ervo! 100
 idem amor exitium pecori pecorisque magistro.
 λ *M.* His certe neque amor causa est: vix ossibus
 haerent.
 nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.
 υ *D.* Dic, quibus in terris — et eris mihi magnus
 Apollo —
 tris pateat Caeli spatium non amplius ulnas. 105
 υ *M.* Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
 nascentur flores; et Phyllida solus habeto.
 e *P.* Non nostrum inter vos tantas componere lites.
 et vitula tu dignus et hic. et quisquis amores
 hau temnet dulcis, haut experietur amarus. 110
 claudite iam rivos, pueri: sat prata biberunt.

IV

- Sicelides musae, paulo maiora canamus!
 non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
 si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
 A a *Ultima* Cumaei venit iam carminis aetas;
 magnus ab integro saeculorum nascitur ordo. 5

- a iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna;
 iam nova progenies caelo demittitur alto.
 b tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
 desinet ac toto surget gens aurea mundo,
 casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo. 10
 a Teque adeo decus hoc aevi, te consule inibit,
 Polio, et incipient magni procedere menses;
 a te duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
 inrita perpetua solvent formidine terras.
 b ille deum vitam accipiet, divisque videbit
 permixtos heroas, et ipse videbitur illis,
 pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
 B c At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
 errantis hederas passim cum baccare tellus
 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. 20
 c ipsae lacte domum referent distenta capellae
 ubera, nec magnos metuent armenta leones.
 ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
 d occidet et serpens, et fallax herba veneni
 d occidet; Assyrium volgo nascetur amomum. 25
 C e At simul heroum laudes et facta parentis
 iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus:
 f molli paulatim flavescent campus arista,
 incultisque rubens pendebit sentibus uva,
 et durae quercus sudabunt roscida mella. 30
 f pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
 quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
 oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
 f alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo
 delectos heroas; erunt etiam altera bella, 35
 atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
 D g Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
 cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
 mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
 g non rastros patietur humus, non vinea falcem; 40
 robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
 nec varios discet mentiri lana colores,
 g ipse sed in pratibus aries iam suave rubenti

murice, iam croceo mutabit vellera luto;
 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos. 45
 E 'Talia saecla' suis dixerunt 'currite' fusis
 concordēs stabili fatorum numine parcae.
 F h Adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
 cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
 i aspice convexo nutantem pondere mundum, 50
 terrasque tractusque maris caelumque profundum,
 aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo!
 h o mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
 spiritus et quantum sat erit tua dicere facta:
 i non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus, 55
 nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
 Orphei Caliopea, Lino formonsus Apollo.
 k Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
 k Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
 l incipe, parve puer, risu cognoscere matrem: 60
 matri longa decem tulerunt fastidia menses.
 l incipe, parve puer: cui non risere parentes,
 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubileist.

V

MENALCAS. MOPSUS.

a ME. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,
 tu calamos inflare levis, ego dicere versus,
 hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
 a MO. Tu maior; tibi me est aecum parere, Menalca,
 sive sub incertis zephyris motantibus umbras, 5
 sive antro potius succedimus. aspice, ut antrum
 silvestris raris sparsit labrusca racemis.
 b ME. Montibus in nostris solus tibi certat Amyntas.
 b MO. Quid, si idem certet Phoebum superare canendo?
 c ME. Incipe, Mopse, prior, siquos aut Phyllidis ignes 10
 aut Alconis habes laudes aut iurgia Codri.
 incipe; pascentis servabit Tityrus haedos.

c MO. Immo haec, in viridi nuper quae cortice fagi
 carmina descripsi et modulans alterna notavi,
 experiar. tu deinde iubeto ut certet Amyntas. 15
 c ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae,
 puniceis humilis quantum salianca rosetis,
 iudicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
 sed tu desine plura, puer; successimus antro.
 a MO. Extinctum nymphae crudeli funere Daphnim 20
 flebant (vos coryli testes et flumina nymphis),
 a cum complexa sui corpus miserabile nati
 atque deos atque astra vocat crudelia mater.
 β Non ulli pastos illis egere diebus
 frigida, Daphni, boves ad flumina; nulla neque amnem 25
 libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
 Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones
 interitum montesque feri silvaeque locuntur.
 γ Daphnis et Armenias curru subiungere tigris
 instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi 30
 et foliis lentas intexere mollibus hastas.
 vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvae,
 ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
 tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt,
 ipsa Pales agros atque ipse reliquit Apollo. 35
 δ Grandia saepe quibus mandavimus hordea sulcis,
 infelix lolium et steriles nascuntur avenae;
 pro molli viola, pro purpurea narcisso
 carduos et spinis surgit paliurus acutis.
 e Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, 40
 pastores (mandat fieri sibi talia Daphnis)
 ζ et tumulum facite, et tumulo super addite carmen:
 e 'Daphnis ego in silvis, hinc usque ad sidera notus,
 formonsi pecoris custos, formonsior ipse.'
 d ME. Tale tuum nobis carmen, divine poeta, 45
 quale sopor fessis in gramine, quale per aestum
 dulcis aquae saliente sitim restinguere rivo.
 nec calamis solum aequiperas, sed voce magistrum.
 Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo 49

- e nos tamen haec quocumque modo tibi nostra vicissim 50
dicemus, Daphnimque tuum tollemus ad astra;
Daphnim ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
e *MO.* An quicquam nobis tali sit munere maius?
et puer ipse fuit cantari dignus, et ista
iam pridem Stimichon laudavit carmina nobis. 55
α *ME.* Candidus insuetum miratur limen Olympi
sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis.
α ergo alacris silvas et cetera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet dryadasque puellas.
β Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis 60
ulla dolum meditantur; amat bonus otia Daphnis.
ipsi laetitia voces ad sidera iactant
intonsi montes; ipsae iam carmina rupes,
ipsa sonant arbusta: 'deus, deus ille, Menalca!'
γ Sis bonus o felixque tuis! en quattuor aras: 65
ecce duas tibi, Daphni, duas altaria Phoebo.
pocula bina novo spumantia lacte quotannis
craterasque duo statuam tibi pinguis olivi,
et multo in primis hilarans convivia baccho,
ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra 70
vina novom fundam calathis Ariusia nectar.
δ cantabunt mihi Damoetas et Lyctius Aegon;
saltantis saturos imitabitur Alpheisiboeus.
haec tibi semper erunt et cum sollemnia vota
reddemus nymphis, et cum lustrabimus agros. 75
ε Dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit,
dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae,
ξ semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.
ε ut Baccho Cererique, tibi sic vota quotannis
agricolae facient; damnabis tu quoque votis. 80
d *MO.* Quae tibi, quae tali reddam pro carmine dona?
nam neque me tantum venientis sibilus austri
nec percussa iuvant fluctu tam litora, nec quae
saxosas inter decurrunt flumina valles.
e *ME.* Hac te nos fragili donabimus ante cicuta. 85
haec nos 'formonsum Corydon ardebat Alexim,'
haec eadem docuit 'cuium pecus? an Meliboei?'

- e *MO.* At tu sume pedum, quod, me cum saepe rogaret,
non tulit Antigenes (et erat tunc dignus amari)
formonsum paribus nodis atque aere, Menalca. 90

VI

- Prima Syracosio dignata est ludere versu
nostra neque erubuit silvas habitare Thalea.
cum canerem reges et proelia, Cynthius aurem
vellit et admonuit: 'pastorem, Tityre, pinguis
pascere oportet ovis, deductum dicere carmen.' 5
nunc ego (namque super tibi erunt qui dicere laudes,
Vare, tuas cupiant et tristia condere bella)
agrestem tenui meditabor harundine musam.
non iniussa cano. siquis tamen haec quoque, siquis
captus amore leget: te nostrae, Vare, myricae, 10
te nemus omne canet; nec Phoebo gratior ullast,
quam sibi quae Vari praescripserat pagina nomen.
a Pergite, Pierides. Chromis et Mnasyllus in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
inflatum hesterno venas, ut semper, iaccho; 15
serta procul, tantum capiti delapsa, iacebant,
et gravis attrita pendebat cantharus ansa.
a adgressi (nam saepe senex spe carminis ambo
luserat) iniiciunt ipsis ex vincula sertis.
20
addit se sociam timidisque supervenit Aegle,
Aegle, naiadum pulcherrima, iamque videnti
sanguineis frontem moris et tempora pingit.
b Ille dolum ridens 'quo vincula nectitis?' inquit.
'solve me, pueri: satis est potuisse videri.
b carmina quae voltis cognoscite; carmina vobis, 25
huic aliud mercedis erit.' simul incipit ipse.
b tum vero in numerum faunosque ferasque videres
ludere, tum rigidas motare cacumina quercus;
b nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes,
nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea. 30

c Namque canebat, uti magnum per inane coacta
 semina terrarumque animaeque marisque fuissent
 et liquidi simul ignis; ut his exordia primis
 omnia et ipse tener mundi concreverit orbis;
 c tum durare solum et discludere Nerea ponto 35
 coeperit et rerum paulatim sumere formas;
 iamque novom terrae stupeant lucescere solem,
 altius atque cadant summotis nubibus imbres;
 c incipiant silvae cum primum surgere, cumque
 rara per ignaros errent animalia montis. 40
 hinc lapides Pyrrhae iactos, Saturnia regna,
 Caucaseasque refert volucres furtumque Promethei.
 d his adiungit, Hylan nautae quo fonte relictum
 clamassent, ut litus 'Hyla Hyla' omne sonaret;
 d et fortunatam, si numquam armenta fuissent, 45
 Pasiphaen nivei solatur amore iuveni.
 e a virgo infelix, quae te dementia cepit!
 Proetides implerunt falsis mugitibus agros,
 at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta
 concubitus, quamvis collo timuisset aratrum, 50
 et saepe in levi quaesissent cornua fronte.
 e a virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
 ille latus niveum molli fultus hyacintho
 ilice sub nigra pallentis ruminat herbas,
 aut aliquam in magno sequitur grege. 'claudite, nym-
 phae, 55
 Dictaeae nymphae, nemorum iam claudite saltus,
 f siqua forte ferant oculis sese obvia nostris
 errabunda bovis vestigia; forsitan illum
 f aut herba captum viridi aut armenta secutum
 perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae.' 60
 g tum canit Hesperidum miratam mala puellam;
 tum Phaethontidas musco circumdat amarae
 corticis, atque solo proceras erigit alnos.
 h tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum
 Aonas in montis ut duxerit una sororum, 65
 utque viro Phoebi chorus adsurrexerit omnis;
 ut Linus haec illi divino carmine pastor

floribus atque apio crinis ornatus amaro
 h dixerit: 'hos tibi dant calamos, en accipe, musae,
 Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat 70
 cantando rigidas deducere montibus ornos.
 his tibi Grynei nemoris dicatur origo,
 ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo.'
 i Quid loquar, aut Scyllam Nisi, quam fama secutast
 candida succinctam latrantibus inguina monstis 75
 Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
 a! timidos nautas canibus lacerasse marinis:
 i aut ut mutatos Terei narraverit artus,
 quas illi Philomela dapes, quae dona pararit,
 quo cursu deserta petiverit, et quibus alte 80
 infelix sua tecta super volitaverit alis?
 k Omnia, quae Phoebus quondam meditante beatus
 audiit Eurotas iussitque ediscere lauros,
 ille canit (pulsae referunt ad sidera valles),
 cogere donec oves stabulis numerumque referri 85
 iussit et invito processit Vesper Olympo.

VII

MELIBOEUS. CORYDON. THYRSIS.

a M. Forte sub arguta consederat ilice Daphnis,
 compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,
 Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas,
 ambo florentes aetatibus, Arcades ambo,
 et cantare pares et respondere parati. 5
 a huc mihi, dum teneras defendo a frigore myrtos,
 vir gregis ipse caper deerraverat; atque ego Daphnim
 aspicio. ille ubi me contra videt, 'ocius' inquit
 'huc ades, o Meliboe; caper tibi salvos et haedi;
 et siquid cessare potes, requiesce sub umbra. 10
 t huc ipsi potum venient per prata iuveni;
 hic viridis tenera praetexit harundine ripas
 Mincius, eque sacra resonant examina quercu.'

- b quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,
depulsos a lacte domi quae clauderet agnos; 15
et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.
- c posthabui tamen illorum mea seria ludo.
alternis igitur contendere versibus ambo
coepere; alternos musae meminisse volebant.
hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. 20
- α C. Nymphae, noster amor, Libethrides, aut mihi
carmen
quale meo Codro concedite (proxima Phoebi
versibus ille facit) aut, si non possumus omnes,
hic arguta sacra pendebit fistula pinu.
- α' T. Pastores, hedera crescentem ornate poetam, 25
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro;
aut, si ultra placitum laudarit, baccare frontem
cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.
- β C. Saetosi caput hoc apri tibi, Delia, parvos
et ramosa Micon vivacis cornua cervi. 30
si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
puniceo stabis suras evincta cothurno.
- β' T. Sinum lactis et haec te liba, Priape, quotannis
expectare sat est: custos es pauperis horti.
nunc te marmoreum pro tempore fecimus; at tu, 35
si fetura gregem suppleverit, aureus esto.
- γ C. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae,
candidior cyenis, hedera formosior alba,
cum primum pasti repetent praesaepia tauri,
siqua tui Corydonis habet te cura, venito. 40
- γ' T. Immo ego Sardoniis videar tibi amarior herbis,
horridior rusco, proiecta vilior alga,
si mihi non haec lux toto iam longior annost.
ite domum pasti, siquis pudor, ite iuveni.
- δ C. Muscosi fontes et somno mollior herba, 45
et quae vos rara viridis tegit arbutus umbra,
solstitium pecori defendite: iam venit aestas
torrida, iam lento turgent in palmite gemmae.
- δ' T. Hic focus et taedae pingues, hic plurimus ignis

- semper et adsidua postes fuligine nigri; 50
hic tantum Boreae curamus frigora, quantum
aut numerum lupo aut torrentia flumina ripas.
- ε C. Stant et iuniperi et castaneae hirsutae;
strata iacent passim sua quaeque sub arbore poma;
omnia nunc rident: at si formosus Alexis 55
montibus his abeat, videas et flumina sicca.
- ε' T. Aret ager; vitio moriens sitit aëris herba;
Liber pampineas invidit collibus umbras:
Phyllidis adventu nostrae nemos omne virebit,
Iuppiter et laeto descendet plurimus imbri. 60
- ξ C. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho,
formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebō;
Phyllis amat corylos; illas dum Phyllis amabit,
nec myrtus vincet corylos nec laurea Phoebi.
- ξ' T. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis, 65
populus in fluviis, abies in montibus altis:
saepius at si me, Lycida formosae, revisas,
fraxinus in silvis cedat tibi, pinus in hortis.
- δ M. Fac memini, et victum frustra contendere
Thyrsim.
ex illo Corydon Corydon est tempore nobis. 70

VIII

- a Pastorum musam Damonis et Alpheisiboei,
b immemor herbarum quos est mirata iuvenca
certantis, quorum stupefactae carmine lynces,
et mutata suos requierunt flumina cursus,
- a Damonis musam dicemus et Alpheisiboei. 5
c Tu mihi, seu magni superas iam saxa Timavi,
sive oram Illyrici legis aequoris (en erit umquam
ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
en erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
d sola Sophocleo tua carmina digna cothurno? 10
c a te principium, tibi desinam.) accipe iussis

carmina coepta tuis, atque hanc sine tempora circum
inter victrices hederam tibi serpere laurus.

e Frigida vix caelo noctis decesserat umbra,
cum ros in tenera pecori gratissimis herba: 15
incumbens tereti Damon sic coepit otivae.

1 D. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, alnum,
coniugis indigno Nysae deceptus amore
dum queror, et divos, quamquam nil testibus illis
profeci, extrema moriens tamen adloquar hora. 20

2 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Maenalus argutumque nemus pinosque loquentis
semper habet; semper pastorum ille audit amores
Panaque, qui primus calamos non passus inertis.

3 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. 25
Mopso Nysa datur: quid non speremus amantes?

1 iungentur iam grypes equis, aevoque sequenti
cum canibus timidi venient ad pocula dammae. 28
incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

Mopse, novas incide faces: tibi ducitur uxor; 29
sparge, marite, nuces: tibi deserit Hesperus Oetam. 30
incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.

1 O digno coniuncta viro, dum despicias omnes,
dumque tibi est odio mea fistula dumque capellae
hirsutumque supercilium promissaque barba,
nec curare deum credis mortalia quemquam. 35

3 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saepibus in nostris parvam te roscida mala
(dux ego vester eram) vidi cum matre legentem.
alter ab undecimo tum me iam acceperat annus;
iam fragilis poteram ab terra contingere ramos. 40
ut vidi ut perii, ut me malus abstulit error.

2 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Nunc scio, quid sit Amor. duris in cotibus illum
aut Tmaros aut Rhodope aut extremi Garamantes
nec generis nostri puerum nec sanguinis edunt. 45

2 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem
commaculare manus, crudelis! tu quoque, mater,

crudelis mater, magis at puer improbus ille. 49

3 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus. 51
Nunc et ovis ultro fugiat lupus, aurea durae
mala ferant quercus, narcisso floreat alnus,
pinguia corticibus sudent electra myricae,
certent et cygnis ululae, sit Tityrus Orpheus, 55
Orpheus in silvis, inter delphinas Arion.

1 incipe Maenalios mecum, mea tibia, versus.
Omnia vel medium fiat mare. vivite, silvae:

1 praiceps aërii specula de montis in undas
deferar; extremum hoc munus morientis habeto. 60
desine Maenalios, iam desine, tibia, versus.

f Haec Damon: vos, quae responderit Alpheisiboeus,
dicite, Pierides; non omnia possumus omnes.

1 'Effer aquam, et molli cinge haec altaria vitta, 65
verbenasque adole pinguis et mascula tura,
coniugis ut magicis sanos avertere sacris
experiar sensus; nihil hic nisi carmina desunt.

2 ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Carmina vel caelo possunt deducere Lunam;
carminibus Circe socios mutavit Ulixi; 70
frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

3 ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi haec primum triplici diversa colore
licia circumdo, terque haec altaria circum
effigiem duco; numero deus impare gaudet. 75

1 ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores;
necte, Amarylli, modo et 'Veneris' dic 'vincula necto'.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

1 Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit 80
uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.
sparge molam, et fragilis incende bitumine laurus.
Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide laurum.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.

improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater 50

- 3' Talis amor Daphnim, qualis cum fessa iuvenum 85
per nemora atque altos quaerendo bocula lucos
propter aquae rivom viridi procumbit in ulva,
perdita nec serae meminit decedere nocti,
talis amor teneat, nec sit mihi cura mederi.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
nim. 90
- 2' Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit,
pignora cara sui: quae nunc ego limine in ipso,
terra, tibi mando; debent haec pignora Daphnim.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
- 3'' Has herbas atque haec Ponto mihi lecta venena 95
ipse dedit Moeris (nascuntur pluruma Ponto);
his ego saepe lupum fieri et se condere silvis
Moerim, saepe animas imis excire sepulchris
atque satas alio vidi traducere messis.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daph-
nim. 100
- 2'' Fer cineres, Amarylli, foras rivoque fluenti
transque caput iace, nec respexeris. his ego Daphnim
adgrediar; nihil ille deos, nil carmina curat.
ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
- 1'' Aspice: corripuit tremulis altaria flammis 105
sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. bonum sit!
nescio quid certest, et Hylas in limine latrat.
credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
parcite, ab urbe venit, iam parcite, carmina, Daphnis.

IX

LYCIDAS. MOERIS.

L. Quo te, Moeri, pedes? an, quo via ducit, in urbem?
M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri
(quod numquam veriti sumus) ut possessor agelli
diceret 'haec mea sunt; veteres migrate coloni.'
nunc victi tristes, quoniam Fors omnia versat, 5
hos illi (quod nec vertat bene) mittimus haedos.

- L.* Certe equidem audieram, qua se subducere colles
incipiunt mollique iugum demittere clivo,
usque ad aquam et veteres iam fracta cacumina fagos
omnia carminibus vestrum servasse Menalcan. 10
M. Audieras: et fama fuit; sed carmina tantum
nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
quod nisi me quacumque novas incidere lites
ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix, 15
nec tuus hic Moeris nec viveret ipse Menalcas.
L. Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis
paene simul tecum solacia rapta, Menalca?
quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis
spargeret, aut viridi fontes induceret umbra? 20
vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,
cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras:
*Tityre, dum redeo (brevis est via) pasce capellas,
et potum pastas age, Tityre, et inter agendum
occursare capro (cornu ferit ille) caveto.* 25
M. Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:
*'Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,
Mantua vae miserae nimium vicina Cremonae,
cantantes sublime ferent ad sidera cycni.'*
L. Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, 30
sic cytiso pastae distendant ubera vaccae:
incipi, siquid habes. et me fecere poetam
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt
vatem pastores; sed non ego credulus illis.
nam neque adhuc Varo videor nec dicere Cinna 35
digna, sed argutos inter strepere anser olores.
M. Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse voluto,
si valeam meminisse; neque est ignobile carmen.
*'huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?
hic ver purpureum, varios hic flumina circum 40
fundit humus flores, hic candida populus antro
imminet, en lentae texunt umbracula vites:
huc ades; insani feriant sine litora fluctus.'*
L. Quid, quae te pura solum sub nocte canentem

audieram? numeros memini, si verba tenerem. 45
 'Daphni, quid antiquos signorum suspicis ortus?
 ecce Dionaei processit Caesaris astrum,
 astrum, quo segetes gauderent frugibus et quo
 duceret apricis in collibus uva colorem.
 e inserere, Daphni, piros; carpent tua poma nepotes.' 50
M. Omnia fers, aetas, animum quoque; saepe ego
 longos
 cantando puerum memini me condere soles:
 nunc oblita mihi tot carmina; vox quoque Moerim
 iam fugit ipsa; lupi Moerim videre priores.
 sed tamen ista satis referet tibi saepe Menalcas. 55
 e *L.* Causando nostros in longum ducis amores.
 et nunc omne tibi stratum silet aequor, et omnes,
 aspice, ventosi ceciderunt murmuris aurae.
 hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
 incipit apparere Bianoris: hic, ubi densas 60
 e agricolae stringunt frondes, hic, Moeri, canamus;
 hic haedos deponere, tamen veniemus in urbem.
 aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
 cantantes licet usque (minus via laedit) eamus;
 cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo. 65
 f *M.* Desine plura, puer, et quod nunc instat agamus:
 carmina tum melius, cum venerit ipse, canemus.

X

GALLVS.

a 1 Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborum
 pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris,
 carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?
 2 sic tibi, cum fluctus supterlabere Sicanos,
 Doris amara suam non intermisceat undam: 5
 3 incipe; sollicitos Galli dicamus amores.
 dum tenera attendent simae virgulta capellae.
 non caninus surdis, respondent omnia silvae.
 A 1 Quae nemora aut qui vos saltus habuere, puellae

naides, indigno cum Gallus amore peribat? 10
 1 nam neque Parnasi vobis iuga, nam neque Pindi
 2 ulla moram fecere, neque Aoniae Aganippe.
 illum etiam lauri, etiam flevere myricae,
 pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem
 Maenalus et gelidi fleverunt saxa Lycaei. 15
 stant et oves circum (nostri nec paenitet illas:
 et formonsus ovis ad flumina pavit Adonis), 18
 venit et opilio, tardi venere subulci,
 uvidus hiberna venit de glande Menalcas. 20
 3 omnes 'unde amor iste' rogant 'tibi?' venit Apollo:
 'Galle, quid insanis?' inquit, 'tua cura Lycoris
 perque nives alium perque horrida castra secutast.'
 4 venit et agresti capitis Silvanus honore
 florentis ferulas et grandia lilia quassans. 25
 4 Pan deus Arcadiae venit, quem vidimus ipsi
 sanguineis ebuli bacis minioque rubentem.
 3 'ecquis erit modus?' inquit. 'Amor non talia curat:
 nec lacrimis crudelis Amor nec gramina rivis
 nec cytiso saturantur apes nec fronde capellae.' 30
 A 1 tristis at ille 'tamen cantabitis, Arcades' inquit
 'montibus haec vobis, soli cantare periti
 1 Arcades. o mihi tum quam molliter ossa quiescant,
 vestra meos olim si fistula dicat amores!
 2 atque utinam ex vobis unus vestrique fuissem 35
 aut custos gregis aut maturaevini uvae!
 certe sive mihi Phyllis sive esset Amyntas
 seu quicumque furor (quid tum, si fuscus Amyntas?
 et nigrae violae sunt et vaccinia nigra),
 mecum inter salices lenta sub vite iaceret: 40
 sarta mihi Phyllis legeret, cantaret Amyntas.
 3 hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori,
 hic nemos: hic ipso tecum consumerer aevo.
 4 nunc insanus Amor duri me Martis in armis
 tela inter media atque adversos detinet hostes: 45
 nec te paeniteat pecoris, divine poeta 17

4' tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum
 3' Alpinas a dura nives et frigora Rheni
 me sine sola vides. a, te ne frigora laedant!
 a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
 B 1 ibo et Calchidico quae sunt mihi condita versu 50
 carmina pastoris Siculi modulabor avena.
 2 certum est in silvis inter spelaea ferarum
 malle pati tenerisque meos incidere amores
 arboribus: crescent illae, crescetis amores.
 3 interea mixtis lustrabo Maenala nymphis, 55
 aut acris venabor apros. non me ulla vetabunt
 frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
 iam mihi per rupes videor lucosque sonantis
 ire, libet Partho torquere Cydonia cornu
 B 1 spicula. tamquam haec sit nostri medicina furoris 60
 aut deus ille malis hominum mitescere discat.
 2 iam neque hamadryades rusum neque carmina nobis
 ipsa placent; ipsae rursus concedite silvae.
 non illum nostri possunt mutare labores:
 3 nec si frigoribus mediis Hebrumque bibamus 65
 Sithoniasque nives hiemis subeamus aquosae,
 nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
 Aethiopum versemus ovis sub sidere cancri.
 omnia vincit Amor: et nos cedamus Amori.
 a 1 Haec sat erit, divae, vestrum cecinisse poetam, 70
 dum sedet et gracili fiscellam textit hibisco,
 Pierides: vos haec facietis maxima Gallo,
 2 Gallo, cuius amor tantum mihi crescit in horas,
 quantum vere novo viridis se subicit alnus.
 3 surgamus. solet esse gravis cantantibus umbra, 75
 iuniperi gravis umbra, nocent et frugibus umbrae
 ite domum saturae, venit Hesperus, ite capellae.

P. VERGILI MARONIS
 G E O R G I C O N
 LIBER PRIMVS

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
 vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
 conveniat, quae cura bouum, qui cultus habendo
 sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
 hinc canere incipiam. vos, o clarissima mundi 5
 lumina, labentem caelo quae ducitis annum:
 Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
 Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
 poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;
 et vos, agrestum praesentia numina, fauni, 10
 ferte simul faunisque pedem dryadesque puellae:
 munera vestra cano. tuque o, cui prima frementem
 fudit equom magno tellus percussa tridenti,
 Neptune; et cultor nemorum, cui pinguis Caeae
 ter centum nivei tondent dummeta iuveni; 15
 ipse nemus linquens patrium saltusque Lycae
 Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
 adsis, o Tegeaeae, favens, oleaeque Minerva
 inventrix, unciue puer monstrator aratri,
 et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum; 20
 dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
 quique novas alitis non ullo semine fruges,
 quique satis largum caelo demittitis imbrem;
 tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum
 concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar, 25

terrarumque velis curam, et te maximus orbis
 auctorem frugum tempestatumque potentem
 accipiat cingens materna tempora myrto,
 an deus immensi venias maris ac tua nautae
 numina sola colant, tibi serviat ultima Thyle 30
 teque sibi generum Tethys emat omnibus undis,
 anne novom tardis sidus te mensibus addas,
 qua locus Erigonen inter chelasque sequentis
 panditur (ipse tibi iam brachia contrahit ardens
 Scorpius et caeli iusta plus parte relinquit) — 35
 quidquid eris (nam te nec sperant Tartara regem
 nec tibi regnandi veniat tam dira cupido,
 quamvis Elysios miretur Graecia campos
 nec repetita sequi curet Proserpina matrem),
 da facilem cursum atque audacibus adnue coeptis, 40
 ignarosque viae mecum miseratus agrestis
 ingredi et votis iam nunc adsuesce vocari.
 Vere novo gelidus canis cum montibus umor
 liquitur et zephyro putris se glaeba resolvit,
 depresso incipiat iam tum mihi taurus aratro 45
 ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.
 illa seges demum votis respondet avari
 agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit;
 illius immensae ruperunt horrea messes.
 at prius ignotum ferro quam scindimus aequor, 50
 ventos et varium caeli praediscere morem
 cura sit ac patrios cultusque habitusque locorum,
 et quid quaeque ferat regio et quid quaeque recuset.
 hic segetes, illi veniunt felicius uvae,
 arborei fetus alibi atque iniussa virescunt 55
 gramina. nonne vides croceos ut Tmolus odores,
 India mittit ebur, molles sua tura Sabaei,
 at Chalybes nudi ferrum, virosaue Pontus
 castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
 continuo has leges aeternaue foedera certis 60
 imposuit natura locis, quo tempore primum
 Deucalion vacuum lapides iactavit in orbem,
 unde homines nati, durum genus. ergo age, terrae

pingue solum primis extemplo a mensibus anni
 fortes invortant tauri, glaebasque iacentis 65
 pulverulenta coquat maturis solibus aestas;
 at si non fuerit tellus fecunda, sub ipsum
 arcturum tenui sat erit suspendere sulco:
 illic, officiant laetis ne frugibus herbae,
 hic, sterilem exiguus ne deserat umor harenam 70
 Alternis idem tonsas cessare novalis,
 et segnem patiēre situ durescere campum;
 aut ibi flava seres mutato sidere farra,
 unde prius laetum siliqua quassante legumen
 aut tenuis fetus viciae tristisque lupini 75
 sustuleris fragiles calamos silvanque sonantem.
 urit enim lini campum seges, urit avenae,
 urunt Lethaeo perfusa papavera somno:
 sed tamen alternis facilis labor, arida tantum
 ne saturare fimo pingui pudeat sola neve 80
 effetos cinerem immundum iactare per agros.
 sic quoque mutatis requiescunt fetibus arva;
 nec nulla interea est inaratae gratia terrae.
 saepe etiam steriles incendere profuit agros,
 atque levem stipulam crepitantibus urere flammis: 85
 sive inde occultas vires et pabula terrae
 pingua concipiunt, sive illis omne per ignem
 excoquitur vitium atque exudat inutilis umor,
 seu plures calor ille vias et caeca relaxat
 spiramenta, novas veniat qua sucus in herbas; 90
 seu durat magis, et venas adstringit hiantis,
 ne tenues pluviae rapidive potentia solis
 acrior aut Boreae penetrabile frigus adurat.
 multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertis
 vimineasque trahit crates, iuvat arva, neque illum 95
 flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo;
 et qui, proscisso quae suscitāt aequore terga,
 rursus in obliquom verso perrumpit aratro
 exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.
 * [umida solstitia atque hiemes orate serenas, 100
 agricolae: hiberno laetissima pulvere farra,

laetus ager; nullo tantum se Mysia cultu
 iactat et ipsa suas mirentur Gargara messes.]
 quid dicam, iacto qui semine comminus arva
 insequitur cumulosque ruit male pinguis harenae, 105
 deinde satis fluvium inducit rivosque sequentis
 et, cum exustus ager morientibus aestuat herbis,
 ecce supercilio clivosi tramitis undam
 elicit? illa cadens raucum per levia murmur
 saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva. 110
 quid qui, ne gravidis procumbat culmus aristis,
 luxuriam segetum tenera depascit in herba,
 cum primum sulcos aequant sata, quique paludis
 conlectum umorem bibula deducit harena?
 praesertim incertis si mensibus amnis abundans 115
 exit et obducto late tenet omnia limo,
 unde cavae tepido sudant umore lacunae.
 Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
 versando terram experti, nihil improbus anser
 Strymoniaeque grues et amaris intiba fibris 120
 officiant aut umbra nocet. pater ipse colendi
 haut facilem esse viam voluit, primusque per artem.
 movit agros curis acuens mortalia corda,
 nec torpere gravi passus sua regna veterno. 125
 ante Iovem nulli subigebant arva coloni;
 ne signare quidem aut partiri limite campum
 fas erat: in medium quaerebant, ipsaque tellus
 omnia liberius nullo poscente ferebat.
 ille malum virus serpentibus addidit atris
 praedarique lupos iussit pontumque moveri 130
 mellaque decussit foliis ignemque removit,
 et passim rivis currentia vina repressit,
 ut varias usus meditando extunderet artes
 paulatim et sulcis frumenti quaereret herbam.
 [ut silicis venis abstrusum excuderet ignem.] 135
 tunc alnos primum fluvii sensere cavatas;
 navita tum stellis numeros et nomina fecit
 pleiadas, hyadas, claramque Lycaonis arcton;
 tum laqueis captare feras et fallere visco

inventum et magnos canibus circumdare saltus; 140
 atque alius latum funda iam verberat amnem,
 alta petens alius pelago trahit umida lina;
 tum ferri rigor atque argutae lammina serrae,
 [nam primi cuneis scindebant fissile lignum]
 tum variae venere artes. labor omnia vicit 145
 improbus et duris urgens in rebus egestas.
 prima Ceres ferro mortalis vertere terram
 instituit, cum iam glandes atque arbuta sacrae
 deficerent silvae et victum Dodona negaret.
 mox et frumentis labor additus, ut mala culmos 150
 esset robigo, segnisque horreret in arvis
 carduos: intereunt segetes, subit aspera silva,
 lappaeque tribolique, interque nitentia culta
 infelix lolium et steriles dominantur avenae.
 quod nisi et adsiduis herbam insectabere rastris, 155
 et sonitu terrebis aves, et ruris opaci
 falce premes umbras, votisque vocaveris imbrem,
 heu magnum alterius frustra spectabis acervom,
 concussaue famem in silvis solabere quercu.
 Dicendum et, quae sint duris agrestibus arma 160
 quis sine nec potuere seri nec surgere messes:
 vomis et inflexi primum grave robur aratri
 tardaue Eleusinae matris volventia plaustra
 tribulaue traheaeque et iniquo pondere rastris;
 virgea praeterea Celei vilisque supellex, 165
 arbuteae crates et mystica vannus lacchi.
 omnia quae multo ante memor provisiva repones,
 si te digna manet divini gloria ruris.
 continuo in silvis magna vi flexa domatur
 in burim et curvi formam accipit ulmus aratri. 170
 huic a stirpe pedes temo protentus in octo,
 binae aures, duplici aptantur dentalia dorso,
 stivaque, quae currus a tergo torqueat imos. 174
 caeditur et tilia ante iugo levis altaque fagus, 173
 et suspensa focis explorat robora fumus. 175
 Possum multa tibi veterum praecepta referre,
 ni refugis tenuisque piget cognoscere curas.

area cum primis ingenti aequanda cylindro
 et vertenda manu et creta solidanda tenaci,
 ne subeant herbae neu pulvere victa fatiscat, 180
 tum variae insudant pestes: saepe exiguus mus
 sub terris posuitque domos atque horrea fecit,
 aut oculis capti fodere cubilia talpae,
 inventusque cavis bufo et quae plurima terrae
 monstra ferunt, populatque ingentem farris acervom 185
 curculio atque inopi metuens formica senectae.
 contemplator item, cum nux se plurima silvis
 induet in florem et ramos curvabit olentis.
 si superant fetus, pariter frumenta sequentur,
 magnaque cum magno veniet tritura calore; 190
 at si luxuria foliorum exuberat umbra,
 nequiquam pinguis palea teret area culmos.
 semina vidi equidem multos medicare serentes,
 et nitro prius et nigra perfundere amurca,
 grandior ut fetus siliquis fallacibus esset, 195
 et quamvis igni exiguo properata maderent.
 vidi lecta diu et multo spectata labore
 degenerare tamen, ni vis humana quotannis
 maxima quaeque manu legeret. sic omnia fatis
 in peius ruere ac retro sublapsa referri, 200
 non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
 remigiis subigit, si bracchia forte remisit,
 atque illum praeceps prono rapit alveus amni.
 Praeterea tam sunt arcturi sidera nobis
 haedorumque dies servandi et lucidus anguis, 205
 quam quibus in patriam ventosa per aequora vectis
 pontus et ostriferi fauces temptantur Abydi.
 libra die somnique pares ubi fecerit horas,
 et medium luci atque umbris iam dividit orbem:
 exercete, viri, tauros, serite hordea campis 210
 usque sub extremum brumae intractabilis imbrem;
 nec non et lini segetem et Cereale papaver
 tempus humo tegere et iandudum incumbere aratris,
 dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
 vere fabis satio; tum te quoque, medica, putres 215

accipiunt sulci, et milio venit annua cura,
 candidus auratis aperit cum cornibus annum
 taurus, et averso cedens canis occidit astro.
 at si triticeam in messem robustaque farra
 exercebis humum, solisque instabis aristas, 220
 ante tibi eoae Atlantides abscondantur
 Cnosiaque ardentis decedat stella coronae,
 debita quam sulcis committas semina quamque
 invitae properes anni spem credere terrae.
 multi ante occasum Maiæ coepere; sed illos 225
 expectata seges vanis elusit avenis.
 si vero viciamque seres vilemque phaselum,
 nec Pelusiacae curam aspernabere lentis,
 haut obscura cadens mittet tibi signa bootes:
 incipe et ad medias sementem extende pruinas. 230
 *Idcirco certis dimensum partibus orbem
 per duodena regit mundi sol aureus astra.
 quinque tenent caelum zonae: quarum una corusco
 semper sole rubens et torrida semper ab igni;
 quam circum extremae dextra laevaue trahuntur 235
 caeruleae, glacie concretæ atque imbribus atris;
 has inter mediamque duae mortalibus aegris
 munere concessae divom, et via secta per ambas,
 oblicus qua se signorum verteret ordo.
 mundus, ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces 240
 consurgit, premitur Libyæ devexus in austros.
 hic vertex nobis semper sublimis; at illum
 sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.
 maxumus hic flexu sinuoso elabitur anguis
 circum perque duas in morem fluminis arctos, 245
 arctos Oceani metuentes aequore tingui.
 illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox
 semper et obtenta densentur nocte tenebrae,
 aut redit a nobis Aurora diemque reducit;
 nosque ubi primus equis Oriens adflavit anhelis, 250
 illis sera rubens accendit lumina Vesper.
 Nec frustra signorum obitus speculamur et ortus 257
 temporibusque parem diversis quattuor annum: 258

hinc tempestates dubio praediscere caelo 252
 possumus, hinc messisque diem tempusque serendi,
 et quando infidum remis impellere marmor
 conveniat, quando armatas deducere classis, 255
 aut tempestivam silvis evertere pinum.
 frigidus agricolam siquando continet imber, 259
 multa, forent quae mox caelo properanda sereno,
 maturare datur: durum procudit arator
 vomeris obtunsi dentem, cavat arbore luntres,
 aut pecori signum aut numeros impressit acervis.
 exacuunt alii vallos furcasque bicornis,
 atque Amerina parant lentae retinacula viti. 263
 nunc facilis Rubea texatur fiscina virga,
 nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
 quippe etiam festis quaedam exercere diebus
 fas et iura sinunt: rivos deducere nulla
 religio vetuit, segeti praetendere saepem, 270
 insidias avibus moliri, incendere vepres,
 balantumque gregem fluvio mersare salubri.
 saepe oleo tardi costas agitator aselli
 vilibus aut onerat pomis, lapidemque revertens
 incusum aut atrae massam picis urbe reportat.* 275
 Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
 felicis operum. quintam fuge: pallidus Horcus
 Eumenidesque satae; tum partu Terra nefando
 Coeumque Iapetumque creat saevomque Typhoea
 et coniuratos caelum rescindere fratres. 280
 ter sunt conati imponere Pelio Ossam
 scilicet atque Ossae frondosum involvere Olympum;
 ter pater extractos disiecit fulmine montis.
 septima post decumam felix et ponere vitem
 et prensos domitare boves et licia telae 285
 addere. nona fugae melior, contraria furtis.
 Multa adeo gelida melius se nocte dedere,
 aut cum sole novo terras inrorat eous.
 nocte leves melius stipulae, nocte arida prata
 tondentur, noctis lentus non deficit umor. 290
 nec rubicunda ceres medio succiditur aestu, 297

at medio tostas aestu terit area fruges.
 nudus ara, sere nudus; hiemps ignava colono.
 frigoribus parto agricolae plerumque fruuntur, 300
 mutuaeque inter se laeti convivia curant.
 invitat genialis hiemps curasque resolvit,
 ceu pressae cum iam portum tetigere carinae
 puppibus et laeti nautae imposere coronas.
 sed tamen et quernas glandes tum stringere tempus 305
 et lauri bacas oleamque cruentaque myrta,
 tum gruibus pedicas et retia ponere cervis
 auritosque sequi lepores, tum figere dammas
 stuppea torquentem Balearis verbera fundae,
 cum nix alta iacet, glaciem quom flumina trudunt. 310
 et quidam seros hiberni ad luminis ignes 291
 pervigilat, ferroque faces inspicat acuto;
 interea longum cantu solata laborem
 arguto coniunx percurrit pectine telas,
 aut dulcis musti Volcano decoquit umorem 295
 et foliis undam trepidi despumat aheni. 296
 Quid tempestates autumnii et sidera dicam,
 atque, ubi iam breviorque dies et mollior aestas,
 quae vigilanda viris; vel cum ruit imbriferum ver,
 spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
 frumenta in viridi stipula lactentia turgent? 315
 saepe ego, cum flavis messorum induceret arvis
 agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
 omnia ventorum concurrere proelia vidi,
 quae gravidam late segetem ab radicibus imis
 sublimem expulsam eruerent, ita turbine nigro 320
 ferret hiemps culmumque levem stipulasque volantis.
 saepe etiam immensum caelo venit agmen aquarum,
 et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
 collectae ex alto nubes; ruit arduus aether,
 et pluvia ingenti sata laeta boumque labores 325
 diluit; implentur fossae et cava flumina crescunt
 cum sonitu fervetque fretis spirantibus aequor.
 ipse pater media nimborum in nocte corusca
 fulmina molitur dextra: quo maxuma motu

terra tremit; fugere ferae et mortalia corda 330
 per gentes humilis stravit pavor: ille flagranti
 aut Athon aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
 deicit; ingeminant austri et densissimus imber.
 [nunc nemora ingenti vento, nunc litora plangunt.]
 hoc metuens caeli menses et sidera serva, 335
 frigida Saturni sese quo stella receptet;
 quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.
 in primis venerare deos, atque annua magnae
 sacra refer Cereri laetis operatus in herbis
 extremae sub casum hiemis, iam vere sereno. 340
 tum pingues agni et tum mollissima vina,
 tum somni dulces densaeque in montibus umbrae.
 cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
 quoi tu lacte favos et miti dilue haccho,
 terque novas circum felix eat hostia fruges, 345
 omnis quam chorus et socii comitentur ovantes,
 et Cererem clamore vocent in tecta; neque ante
 falcem maturis quisquam supponat aristis,
 quam Cereri torta redimitus tempora quercu
 det motus incompositos et carmina dicat. 350
 Atque haec ut certis possemus discere signis,
 aestusque pluviasque et agentis frigora ventos,
 ipse pater statuit, quid menstrua luna moneret,
 quo signo caderent austri, quid saepe videntes
 agricolae propius stabulis armenta tenerent. 355
 continuo ventis surgentibus aut freta ponti
 incipiunt agitata tumescere et aridus altis
 montibus audiri fragor, aut resonantia longe
 litora misceri et nemorum increbrescere murmur.
 iam sibi tum curvis male temperat unda carinis, 360
 quom medio celeres revolant ex aequore mergi
 clamoremque ferunt ad litora, cumque marinae
 in sicco ludunt fulicae, notasque paludis
 deserit atque altam supera volat ardea nubem.
 saepe etiam stellas vento inpendente videbis 365
 praecipites caelo labi, noctisque per umbram
 flammaram longos a tergo albescere tractus;

saepe levem paleam et frondes volitare caducas,
 aut summa nantis in aqua colludere plumas.
 at Boreae de parte trucis cum fulminat, et cum 370
 eurique zephyrique tonat domus: omnia plenis
 rura natant fossis, atque omnis navita ponto
 umida vela legit. numquam imprudentibus imber
 obfuit: aut illum surgentem vallibus imis
 aëriae fugere grues, aut bucula caelum 375
 suspiciens patulis captavit naribus auras,
 aut arguta lacus circumvolitavit hirundo
 et veterem in limo ranae cecinere querellam.
 saepius et tectis penetralibus extulit ova
 angustum formica terens iter, et bibit ingens 380
 arcus, et e pastu decedens agmine magno
 corvorum increpuit densis exercitus alis.
 iam variae pelagi volucres et quae Asia circum
 dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri,
 certatim largos umeris infundere rores: 385
 nunc caput obiectare fretis, nunc currere in undas
 et studio incassum videas gestire lavandi.
 tum cornix plena pluviam vocat improba voce
 et sola in sicca secum spatiatur harena.
 ne nocturna quidem carpentes pensa puellae 390
 nescivere hiemem, testa cum ardente viderent
 scintillare oleum et putris concresecere fungos.
 Nec minus ex imbri soles et aperta serena
 prospicere et certis poteris cognoscere signis:
 nam neque tum stellis acies obtunsa videtur, 395
 nec fratris radiis obnoxia surgere Luna,
 tenuia nec lanae per caelum vellera ferri;
 non tepidum ad solem pinnas in litore pandunt
 dilectae Thetidi alcyones, non ore solutos
 immundi meminere sues iactare maniplos. 400
 at nebulae magis ima petunt campoque recumbunt,
 solis et occasum servans de culmine summo
 nequiquam seros exercet noctua cantus.
 apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
 et pro purpureo poenas dat Scylla capillo: 405

quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,
 ecce inimicus atrox magno stridore per auras
 insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras.
 illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.
 tum liquidas corvi presso ter gutture voces 410
 aut quater ingeminant, et saepe cubilibus altis
 nescio qua praeter solitum dulcedine laeti
 inter se in foliis strepitant; iuvat imbris actis
 progeniem parvam dulcisque revisere nidos:
 haut equidem credo, quia sit divinitus illis 415
 ingenium aut rerum fato prudentia maior;
 verum ubi tempestas et caeli mobilis umor
 mutavere vices et Iuppiter uvidus austris
 denset erant quae rara modo, et quae densa relaxat,
 vertuntur species animorum, et pectora motus 420
 nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
 concipiunt: hinc ille avium concentus in agris
 et laetae pecudes et ovantes gutture corvi.
 Si vero solem ad rapidum lunasque sequentes
 ordine respicies, numquam te crastina fallat 425
 hora, neque insidiis noctis capiere serenae.
 luna, revertentes quom primum colligit ignis,
 si nigrum obscuro comprehenderit aëra cornu,
 maxumus agricolis pelagoque parabitur imber:
 at si virgineum suffuderit ore ruborem, 430
 ventus erit; vento semper rubet aurea Phoebe
 sin ortu quarto (namque is certissimus auctor)
 pura neque obtunsis per caelum cornibus ibit,
 totus et ille dies et qui nascentur ab illo
 exactum ad mensem pluvia ventisque carebunt. 435
 votaue servati solvent in litore nautae
 Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae.
 sol quoque et exoriens et cum se condet in undas,
 signa dabit; solem certissima signa secuntur,
 et quae mane refert et quae surgentibus astris. 440
 ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
 conditus in nubem medioque refugerit orbe,
 suspecti tibi sint imbres; namque urget ab alto

arboribusque satisque notus pecorique sinister.
 aut ubi sub lucem densa inter nubila sese 445
 divorsi rumpent radii, aut ubi pallida surget
 Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
 heu male tum mitis defendet pampinus uvas:
 tam multa in tectis crepitans salit horrida grando.
 hoc etiam, emenso cum iam decedit Olympo, 450
 profuerit meminisse magis; nam saepe videmus
 ipsius in volta varios errare colores:
 caeruleus pluviam denuntiat, igneus euros;
 sin maculae incipient rutilo immiscerier igni,
 omnia tum pariter vento nimisque videbis 455
 fervere. non illa quisquam me nocte per altum
 ire neque a terra moveat convellere funem.
 at si, cum referetque diem condetque relatum,
 lucidus orbis erit, frustra terreberè nimbis,
 et claro silvas cernes aquilone moveri. 460
 denique quid vesper serus vehat, unde serenas
 ventus agat nubes, quid cogitet umidus auster,
 sol tibi signa dabit. Solem quis dicere falsum
 audeat? ille etiam caecos instare tumultus
 saepe monet fraudemque et operta tumescere bella. 465
 ille etiam extincto miseratus Caesare Romam,
 cum caput obscura nitidum ferrugine textit,
 impiaque aeternam timuerunt saecula noctem.
 tempore quamquam illo tellus quoque et aequora ponti
 obscenaque canes importunaequae volucres 470
 signa dabant. quotiens Cyclosum effervere in agros
 vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam,
 flammaramque globos liquefactaque volvere saxa!
 armorum sonitum toto Germania caelo
 audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes. 475
 vox quoque per lucos volgo exaudita silentis
 ingens, et simulacra modis pallentia miris
 visa sub obscurum noctis, pecudesque locutae,
 (infandum!) sistunt amnes terraeque dehiscunt,
 et maestum inlacrimat templis ebur aeraque sudant. 480
 proluit insano contorquens vertice silvas

fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes
 cum stabulis armenta tulit. nec tempore eodem
 tristibus aut extis fibrae apparere minaces
 aut puteis manare cruor cessavit, et altae 485
 per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
 non alias caelo ceciderunt plura sereno
 fulgura, nec diri totiens arsere cometae.
 ergo inter sese paribus concurrere telis
 Romanas acies iterum videre Philippi; 490
 nec fuit indignum superis, bis sanguine nostro
 Emathiam et latos Haemi pinguescere campos.
 scilicet et tempus veniet, cum finibus illis
 agricola incurvo terram molitus aratro
 exesa inveniet scabra robigine pila, 495
 aut gravibus rastris galeas pulsabit inanis,
 grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.
 di patrii indigetes et Romule Vestaque mater,
 quae Tuscum Tiberim et Romana Palatia servas,
 hunc saltem everso iuvenem succurrere saeclo 500
 ne prohibete! satis iam pridem sanguine nostro
 Laomedontaeae luimus periuria Troiae;
 iam pridem nobis caeli te regia, Caesar,
 invidet, atque hominum queritur curare triumphos;
 quippe ubi fas versum atque nefas: tot bella per orbem, 505
 tam multae scelerum facies; non ullus aratro
 dignus honos, squalent abductis arva colonis,
 et curvae rigidum falces conflantur in ensem.
 hinc movet Euphrates, illinc Germania bellum;
 vicinae ruptis inter se legibus urbes 510
 arma ferunt; saevit toto Mars impius orbe:
 ut cum carceribus sese effudere quadrigae,
 addunt in spatia, et frustra retinacula tendens
 fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

P. VERGILI MARONIS

G E O R G I C O N

LIBER SECVNDVS.

Hactenus arborum cultus et sidera caeli;
 nunc te, Bacche, canam, nec non silvestria tecum
 virgulta et prolem tarde crescentis olivae.
 huc, pater o Lenaeae (tuis hic omnia plena
 muneribus, tibi pampineo gravidus autumno 5
 floret ager, spumat plenis vindemia labris)
 huc, pater o Lenaeae, veni, nudataque musto
 tingue novo mecum dereptis crura cothurnis. 8
 o decus, o famae merito pars maxima nostrae. 39
 non ego cuncta meis amplecti versibus opto, 42
 Maecenas, pelagoque volans dare vela patenti, 41
 non, mihi si linguae centum sint oraque centum, 43
 ferrea vox. ades et primi lege litoris oram;
 in manibus terrae: non hic te carmine ficto
 atque per ambages et longa exorsa tenebo. 46
 Principio arboribus varia est natura creandis. 9
 namque aliae nullis hominum cogentibus ipsae 10
 sponte sua veniunt camposque et flumina late
 curva tenent, ut molle siler lentaeque genistae,
 populus et glauca canentia fronde salicta;
 pars autem posito surgunt de semine, ut altae
 castaneae, nemorumque Iovi quae maxima frondet 15
 aesculus, atque habitae Graeis oracula quercus.
 pullulat ab radice aliis densissima silva,

ut cerasis ulmisque; etiam Parnasia laurus
 parva sub ingenti matris se subicit umbra.
 hos natura modos primum dedit, his genus omne 20
 silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.
 Sunt aliae, quas ipse vias sibi repperit usus.
 hic plantas tenero abscondens de corpore matrum
 deposuit sulcis, hic stirpes obruit arvo 25
 quadrifidasque sudes et acuto robore vallos.
 silvarumque aliae pressos propaginis arcus
 expectant et viva sua plantaria terra;
 nil radiceis egent aliae, summumque putator
 haut dubitat terrae referens mandare cacumen. 30
 quin et caudicibus sectis (mirabile dictu)
 truditur e sicco radix oleagina ligno.
 et saepe alterius ramos impune videmus
 vertere in alterius, mutatamque insita mala
 ferre pirum, et prunis lapidosa rubescere corna. 34
 Sponte sua quae se tollunt in luminis oras, 47
 infecunda quidem, sed laeta et fortia surgunt;
 quippe solo natura subest. tamen haec quoque, siquis
 inserat aut scrobibus mandet mutata subactis, 50
 exuerint silvestrem animum, cultuque frequenti
 in quascumque voles artes haut tarda sequentur.
 nec non et sterilis quae stirpibus exit ab imis,
 hoc faciat, vacuos si sit digesta per agros:
 nunc altae frondes et rami matris opacant 55
 crescentique adimunt fetus uruntque ferentem.
 iam quae seminibus iactis se sustulit arbos,
 tarda venit seris factura nepotibus umbram,
 pomaque degenerant sucos oblita priores, 60
 et turpis avibus praedam fert uva racemos.
 scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
 cogendae in sulcum ac multa mercede domandae.
 sed truncis oleae melius, propagine vites
 respondent, solido Paphiae de robore myrtus; 65
 plantis ecdurae coryli nascuntur et ingens
 fraxinus Herculeaeque arbos umbrosa coronae
 Chaonique patris glandes, etiam ardua palma

nascitur et casus abies visura marinos.

Inseritur vero et nucis arbutus horrida fetu,
 et steriles platani malos gessere valentes, 70
 castaneae fagos; ornusque incanuit albo
 flore piri, glandemque sues fregere sub ulmis.
 nec modus inserere atque oculos inponere simplex.
 nam qua se medio trudent de cortice gemmae
 et tenuis rumpunt tunicas, angustus in ipso 75
 fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
 includunt udoque docent inolescere libro.
 aut rursus enodes trunci reseccantur, et alte
 finditur in solidum cuneis via, deinde feraces
 plantae immittuntur: nec longum tempus, et ingens 80
 exilit ad caelum ramis felicibus arbos
 miraturque novas frondes et non sua poma.

Praeterea genus haut unum nec fortibus ulmis
 nec salici totoque neque Idaeis cyparissis,
 nec pingues unam in faciem nascuntur olivae, 85
 orchades et radii et amara pausia baca
 pomaque et Alcinoi silvae, nec surculus idem
 Crustumis Syriisque piris gravibusque volaemis.
 non eadem arboribus pendet vindemia nostris,
 quam Methymnaeo carpit de palmito Lesbos; 90
 sunt Thasiae vites, sunt et Mareotides albae,
 pinguibus hae terris habiles, levioribus illae,
 et passo psithia utilior tenuisque lageos
 temptatura pedes olim vincturaque linguam,
 purpureae preciaeque, et quo te carmine dicam, 95
 Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis.
 sunt et Aminneae vites, firmissima vina,
 Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus;
 Argitisque minor; cui non certaverit ulla
 aut tantum fluere aut totidem durare per annos. 100
 non ego te, dis et mensis accepta secundis,
 transierim, Rhodia, et tumidis, bumaste, racemis.
 sed neque quam multae species, nec nomina quae sint,
 ne quisquam propriae fortunae munere dives 340
 iret invectus caelum super: omne propinquo
 frangitur invidiae telo decus. ibat in altum
 vis Argiva petens patriam ditataque praeda
 arcis Erichthoniae; comes huic erat aura secunda
 per placidum cursu pelagus; Nereis ab unda 345
 signa dabat, pars inflexis super acta carinis:
 cum seu caelesti fato seu sideris ortu
 undique mutatur caeli nitor, omnia ventis,
 omnia turbinibus sunt anxia. iam maris unda
 sideribus certat consurgere, iamque superne 350
 corripere et solis et sidera cuncta minatur
 ac ruere in terras caeli fragor. hic modo laeta
 copia nunc miseris circumdatur anxia fati
 inmoriturque super fluctus et saxa Capherei
 Euboicas aut per cautes Aegaeaeque late 355
 litora, cum Phrygiae passim vaga praeda peremptae
 fluctuat omnis in aequoreo navifraga tractu.
 hic alii sidunt pariles virtutis honore
 heroes mediisque siti sunt sedibus omnes,
 omnis Roma decus magni quos suspicit orbis. 360
 hic Fabii Deciique, hic est et Horatia virtus,
 hic et fama vetus numquam moritura Camilli,
 Curtius et mediis quem quondam sedibus urbis
 devotum tellus consumpsit gurgitis unda,
 Mucius et prudens ardorem corpore passus, 365
 limitibus cessit cui fracta potentia regis;
 hic Curius clarae socius virtutis et ille
 Caecilius, devota dedit qui corpora flammae,
 Scipiadaeque duces, quorum devota triumphis 370
 moenia vae rapidis Libycae Karthaginis horrent.
 iure igitur tales sedes pietatis honores; 369

illi laude sua vigeant: ego Ditis opacos 372
 cogor adire lacus, vacuos, a, lumine Phoebi,
 et vastum Phlegethonta pati, quo, maxime Minos,
 conscelerata pia discernis vincula sede. 375
 ergo iam causam mortis, iam dicere vitae
 verberibus saevae cogunt sub iudice Poenae,
 cum mihi tu sis causa mali nec conscius adsis.
 sed tu mobilibus curis haec inmemor audis,
 et tamen etsi audis, dimittes omnia ventis 380
 et mea diffusas rapiuntur dicta per auras. 383
 digredior numquam rediturus: tu cole fontis 381
 et viridis nemorum silvas et pascua laetus.
 dixit et extrema tristis cum voce recessit. 384
 Hunc ibi sollicitum dimisit inertia vitae, 385
 interius graviter regementem. nec tulit ultra
 sensibus infusum culicis de morte dolorem:
 quantumcumque sibi vires tribuere seniles
 (quis tamen infestum pugnans devicerat hostem),
 rivum propter aquae viridi sub fronde latentem 390
 conformare locum capit impiger. hunc et in orbem
 destinat ac ferri capulum repetivit in usum,
 gramineam ut viridi foderet de caespite terram:
 iam memor inceptum peragens sibi cura laborem
 congestum cumulavit opus, atque aggere multo 395
 telluris tumulus formatum crevit in orbem.
 quem circum lapidem levi de marmore formans
 conserit, adsiduae curae memor. hic et acanthos
 et rosa purpureo crescens pudibunda rubore
 et violae omne genus, hic est et Parthica myrtus 400
 atque hyacinthus et hic Cilici crocus editus arvo,
 laurus item Phoebi surgens decus, hic rhododaphne
 liliaque et roris non avia turba marini
 herbaque turis opes priscis imitata Sabinis
 chrysanthesque hederaeque nitor pallente corymbo 405
 et bocchus Libyae regis memor; hic amaranthus
 bumastusque virens et semper florida tinus;
 non illine narcissus abest, cui gloria formae
 igne Cupidinea proprios exarsit in artus;

et quoscumque novant vernantia tempora flores,
his tumulus super inseritur. tum fronte locatur
elogium, tacita format quod littera voce:
parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
funeris officium vitae pro munere reddit.

CIRIS.

Etsi me vario iactatum laudis amore
inritaque expertum fallacis praemia volgi
Cecropius suaves expirans hortulus auras
floreantis viridi sophiae complectitur umbra,
iamque mea ratione indignumst quaerere carmen,
longe aliud studium atque alios quae accincta labores
altius ad magni subtendit sidera mundi
et placitum paucis ausa est ascendere collem:
non tamen absistam coeptum detexere munus,
in quo iure meas utinam requiescere musas
et leviter blandum liceat deponere morem.
quod si mirificum saeculis proferre valerem,
mirificum mundi genus omne (o bella libido!),
si me iam summa Sapientia pangeret arce,
quattuor antiquis quae heredibus est data consors,
unde hominum errores longe lateque per orbem
despicere atque humiles possem contemnere curas:
non ego te talem venerarer munere tali,
non equidem (quamvis interdum ludere nobis
et gracilem molli liceat pede claudere versum),
sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,
qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
debita cum castae solvuntur vota Minervae
tardaue confecto redeunt quinquennia lustro,
cum levis alterno zephyrus concrebruit euro
et prono gravidum provexit pondere currum.
felix illa dies felix et dicitur annus,
felices qui talem annum videre diemque:
ergo Palladae texuntur in ordine pugnae

410

5

10

15

20

25

magna Giganteis ornantur pepla tropaeis,
horrida sanguineo pinguntur proelia cocco;
additur aurata deiectus cuspidem Typhon,
qui prius, Ossaeis consternens aethera saxis,
Emathio celsum duplicabat vertice Olympum.
tale deae velum sollemni tempore portant;
tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu
purpureos inter soles et candida lunae
sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis,
naturae rerum magnis intexere chartis:
aeternum sophiae coniunctum carmine nomen
nostra tuum senibus loqueretur pagina saeculis.
sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes,
nunc primum teneros firmamus robore nervos,
haec tamen interea, quae possumus, in quibus aevi
prima rudimenta et primos exegimus annos,
accipe dona meo multum vigilata labore
promissaeque diu iam tandem exordia opellae:
impia prodigiis ut quondam exterrita amoris
Scylla novos avium sublimis in aëre coetus
viderit et tenui conscendens aethera penna
caeruleis sua tecta super volitaverit alis,
hanc pro purpureo poenam scelerata capillo,
pro patria solvens excisa funditus urbe.
complures illam et magni, Messalla, poetae
(nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)
longe alia perhibent mutatam membra figura
Scyllaeum monstro saxum infestare voraci;
illam esse aerumnis quam saepe legamus Ulixi
candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates et gurgite in alto
depressos nautas canibus lacerasse marinis.
sed neque Maeoniae patiuntur credere chartae
nec malus istorum dubiis erroribus auctor.
namque alias alii volgo finxere puellas,
quae Colophoniaco Scyllae dicantur Homero.
ipse Crataeum ait matrem; sed sive Crataeis
sive illam monstrum genuit grave Echidna biformis,

35

40

45

50

55

60

65

sive est neutra parens atque hoc in carmine toto
 inguinis est vitium et Veneris descripta libido;
 sive etiam iactis speciem mutata venenis 70
 infelix virgo (quid enim commiserat illa?
 ipse pater timidam sicca complexus arena
 coniugium carae violaverat Amphitrites;
 attamen exegit longo post tempore poenas,
 ut, cum cura sui veheretur coniugis alto, 75
 ipsa trucem multo misceret sanguine pontum;
 seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnes
 et cupidos quaestu passim popularet amantes,
 horribiles circum vidit se sistere formas 80
 piscibus et canibusque malis vallata repentest
 (heu quotiens mirata novos expalluit artus!
 ipsa suos quotiens heu pertimuit latratus!),
 ausa quod est mulier numen fraudare deorum
 et dictam Veneri votorum avertere poenam,
 quam, mala multiplici iuvenum quod saepta caterva 85
 vixit eratque animo meretrix iactata ferarum,
 infamem tali merito rumore fuisse
 docta Palaephatia testatur voce papyrus:
 quidquid et ut quisque est tali de clade locutus,
 Mnemosyne, potius liceat notescere cirin, 90
 atque unam ex multis Scyllam non esse puellis.
 quare quae cantus meditantem mittere curtos
 magna mihi cupido tribuistis praemia, divae
 Pierides, quarum castos alabastria postes 95
 munere saepe meo inficiunt foribusque hyacinthi
 dependent flores aut suave rubens narcissus
 aut crocus alterna coniungens lilia caltha
 sparsaque liminibus floret rosa, nunc age, divae,
 praecipue nostro nunc adspirate labori
 atque novum aeterno praetexite honore volumen 100
 Sunt Pandionis vicinae sedibus urbes
 Actaeos inter colles et candida Thesei
 purpureis late ridentia litora conchis,
 quarum non ulli fama concedere digna
 stat Megara, Alcathoi quondam munita labore, 105

Alcathoi Phoebique: deus namque adfuit illi;
 unde etiam citharae voces imitatus acutas
 saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus
 et veterem sonitu Phoebi testatur amorem.
 hanc urbem ante alios qui tum florebat in armis 110
 fecerat infestam populator remige Minos,
 hospitio quod se Nisi Polyidos avito
 Carpathium fugiens et flumina Caeratea
 texerat. hunc bello repetens Gortynius heros
 Attica Cretaea sternebat rura sagitta. 115
 sed neque tunc cives neque tunc rex ipse veretur
 infesto ad muros volitantes agmine turmas
 reicere et indomitas virtute retundere mentes,
 responsum quoniam satis est meminisse deorum.
 nam capite a summo regis (mirabile dictu) 120
 candida caesaries (florebant tempora lauro),
 at roseus medio surgebat vertice crinis;
 cuius quam servata diu natura fuisset,
 tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum
 concordem stabili firmarunt numine parcae. 125
 ergo omnis caro residebat cura capillo,
 aurea sollemni comptum quem fibula ritu
 Cecropiae et tereti nectebant dente cicadae.
 Nec vero haec urbis custodia vana fuisset,
 nec ruerat, ni Scylla novo correpta furore, 130
 Scylla, patris miseri patriaeque inventa sepulchrum,
 o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.
 sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
 iratum potuit, quem nec pater atque avus idem
 Iuppiter (ille etiam Poenos dormire leones 135
 et rabidas docuit vires mansuescere tigris,
 ille etiam divos, homines — sed dicere magnum est),
 idem tum tristes acuebat parvulus iras.
 funonis magnae, cuius periuria divae
 olim di meminere, ut iam periura puellae 140
 nulli non liceant, violaverat inscia sedem,
 dum sacris operata deae lascivit et extra
 procedit longe matrum comitumque catervam,

suspensam gaudens in corpore ludere vestem
 et tumidos agitante sinus aquilone relaxans. 145
 necdum etiam castos gustaverat ignis honores,
 necdum sollemni lympha perfusa sacerdos
 pallentis foliis caput exornarat olivae:
 cum lapsa e manibus fugit pila. cumque elapsa est,
 procurrit virgo. quod uti ne prodita ludo 150
 auratam gracili solvisses corpore pallam!
 omnia, quae retinere gradum cursusque morari
 possent, o tecum vellem tu semper haberes:
 non umquam violata manu sacraria divae
 iurando, infelix, nequiquam iura piasses! 155
 at si quis nocuisse tibi periuria credat,
 causa pia est: timuit fratri se ostendere, Iuno.

* * * * *

at levis ille deus cui semper ad ulciscendum
 quaeritur ex omni ventosa iniuria dicto, 160
 aurea fulgenti depromens tela pharetra
 heu nimium certo nimium torrentia nisu
 virginis in tenera defixerat omnia mente.
 Quae simul ac venis hausit sitiens ignem
 et validum penitus concepit in ossa furorem, 165
 saeva velut gelidis Edonum Bistonis oris
 ictave barbarico Cybeles antistita buxo,
 infelix virgo tota bacchatur in urbe,
 non storace Idaeo fragrantis tineta capillos,
 cognita non teneris pedibus Sicyonia servans, 170
 non niveo retinens bacata monilia collo.
 multum illi incerto trepidant vestigia cursu:
 saepe redit patrios ascendere perdita muros
 aëriasque facit causam se visere turres;
 saepe etiam tristes volvens in nocte querellas 175
 sedibus ex altis caeli speculatur in orbem
 castraque prospectat crebris lucentia flammis.
 non arguta sonant tenui psalteria chorda, 178
 non Libyco molles plauduntur pectine telae,
 nulla colum novit, carum non respicit aurum, 177

nullus in ore rubor: ubi enim rubor, obstat amori. 180
 atque ubi nulla malis reperit solacia tantis
 tabidulamque videt labi per viscera mortem,
 quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
 fertur et horribili praeceps impellitur oestro, 185
 ut patris, a demens, crinem de vertice sectum
 furtimque arguto detonsum mitteret hosti,
 namque haec condicio miserae proponitur una,
 sive illa ignorans (quis non bonus omnia malit
 credere quam tanti sceleris damnare puellam?)
 heu tamen infelix: quid enim imprudentia prodest? 190
 Nise pater, cui direpta crudeliter urbe
 vix erit una super sedes in turribus altis,
 fessus ubi extracto possis considerare nido,
 tum quoque avis metuere: dabit tibi filia poenas.
 gaudete, o celeres, subnissae nubibus altis, 195
 quae mare, quae virides silvas lucosque sonantes
 incolitis, gaudete, vagae blandaque volucres;
 vosque adeo, humanos mutatae corporis artus,
 vos o crudeli fatorum lege, puellae
 Dauliades, gaudete: venit carissima vobis. 200
 cognatos augens reges numerumque suorum
 ciris et ipse pater. vos, o pulcherrima quondam
 corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
 qua novus ad superum sedes haliaetos et qua
 candida concessos ascendat ciris honores. 205
 Iamque adeo dulci devinctus lumina somno
 Nisus erat, vigilumque procul custodia primis
 excubias foribus studio iactabat inani:
 cum furtim tacito descendens Scylla cubili 210
 auribus arrectis nocturna silentia temptat
 et pressis tenuem singultibus aëra captat.
 tum suspensa levans digitis vestigia primis
 egreditur ferroque manus armata bidenti
 evolat; at demptae subita in formidine vires:
 caeruleas sua furta prius testatur ad umbras. 215
 nam qua se ad patrium tendebat semita limen,
 vestibulo in thalami paulum remoratur et alte

suspicit ad celsi nictantia sidera mundi,
non accepta piis promittens munera divis.

Quam simul Ogygii Phoenicis filia Carne 220
surgere sensit anus (sonitum nam fecerat illi
marmoreo aeratus stridens in limine cardo),
corripit extemplo fessam languore puellam
et simul 'o nobis sacrum caput' inquit 'alumna,
non tibi nequiquam viridis per viscera pallor 225
aegrotas tenui suffudit sanguine venas,
nec levis hoc faceres (neque enim pote) cura subegit.
haut fallor (quod ut o potius, Rhamnusia, fallar):
nam qua te causa nec dulcis pocula Bacchi
nec gravidos Cereris dicam contingere fetus; 230
quae causa ad patrium solam vigilare cubile,
tempore quo fessas mortalia pectora curas,
quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus
dic age nunc miserae saltem, quod saepe petenti
iurabas nihil esse mihi, cur maesta parentis 235
formosos circum virgo removere capillos.
hei mihi, ne furor ille tuos invaserit artus,
ille, Arabae Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
ut scelere infando (quod nec sinit Adrastea)
laedere utrumque uno studeas errore parentem! 240
quod si alio quovis animi iactaris amore
(nam te iactari, non est Amathusia nostri
tam rudis ut nullo possim cognoscere signo),
si concessus amor noto te macerat igne:
per tibi Dictynnae praesentia numina iuro, 245
prima decus quae dulce mihi te donat alumnam,
omnia me potius digna atque indigna laborum
milia visuram, quam te tam tristibus istis
sordibus et senio patiar tabescere tali.'

Haec loquitur, mollique ut se velavit amictu, 250
frigidulam iniecta circumdat veste puellam,
quae prius in tenui steterat succincta crocota.
dulcia deinde genis rorantibus oscula figens
persequitur miserae causas exquirere tabis,
nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces, 255

marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
illa autem 'quid me' inquit 'io nutricula, torques?
quid tantum properas nostros novisse furores?
non ego consueto mortalibus uror amore, 260
nec mihi notorum deflectunt lumina voltus,
nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnes.
nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
nil, quo falsa tamen lateat pietatis imago;
sed media ex acie mediisque ex hostibus heu heu,
quid dicam quove ausa malum hoc exordiar ore? 265
dicam equidem, quoniamque tibi non dicere, nutrix,
non sinis, extremum hoc munus morientis habeto.
ille (vides), nostris qui moenibus adsidet hostis,
quem pater ipse deum sceptri donavit honore,
cui parcae tribuere nec ullo volnere laedi 270
(dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis),
ille mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
quod per te divum crebros testamur amores
perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnae,
ut me si servare potes ne perdere malis; 275
sin autem optatae spes est incisa salutis,
ne mihi quam merui invideas, nutricula, mortem.
nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carne,
ante hunc conspectum casusve deusve tulisset,
aut ferro hoc' (aperit ferrum quod veste latebat) 280
'purpureum patris dempsissem vertice crinem
aut mihi praesenti peperissem volnere letum'.

Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
intonso multo deturpat pulvere crines
et graviter questu Carne complorat anili: 285
'o mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
o iterum nostrae Minos inimice senectae,
semper ut aut olim natae te propter eundem
aut amor insanae luctum portaret alumnae!
tene ego tam longe capta atque avecta nequivi, 290
tam grave servitium, tam duros passa labores,
effugere, ut sistam exitium crudele meorum?
iam iam nec nobis aequo senioribus ullum

vivere uti cupiam vivit genus. ut quid ego amens
 te erepta, o Britomarti, mei spes una sepulchri, 295
 te, Britomarti, diem potui producere vitae?
 atque utinam celeri ne tantum grata Dianae
 venatus esses virgo sectata virorum,
 Gnosia nec Partho contendens spicula cornu
 Dictaeas ageres ad gramina nota capellas: 300
 numquam tam obnixe fugiens Minois amores
 praeceps aërii specula de montis iisses,
 unde alii fugisse ferunt et numina Aphaeae
 virginis adsignant, alii, quo notior esses,
 Dictynnam dixere tuo de nomine lunam. 305
 sint haec vera velim; mihi certe, nata, peristi:
 numquam ego te summo volitantem in vertice montis
 Hyrcanos inter comites agmenque ferarum
 conspiciam nec te redeuntem amplexa tenebo.
 verum haec tum non sic gravia atque indigna fuere, 310
 tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret;
 et vox ista meas nondum violaverat aures.
 tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit,
 tene, o sola meae vivendi causa senectae
 saepe tuo dulci nequiquam capta sopore, 315
 cum premeret natura, mori me velle negavi,
 ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
 quo nunc me, infelix, aut quae me fata reservant?
 an nescis, qua lege patris de vertice summo
 edita candentes praetexat purpura canos, 320
 quae tenuis patrio spes sit suspensa capillo?
 si nescis, aliquam possum sperare salutem,
 inscia quandoquidem scelus es conata nefandum;
 sin est quod metuo, per te, mea alumna, tuumque
 expertum multas miseræ mihi rebus amorem, 325
 perdita, saeva precor per lumina te Ilithyiae,
 ne tantum in facinus tam nulla mente feraris.
 non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
 flectere amore, neque est cum dis contendere nostrum;
 sed patris incolumi potius denubere regno 330
 atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates.

hoc unum exitio docta atque experta monebo.
 quod si non alia poteris ratione parentem
 flectere (sed poteris: quid enim non unica possis?),
 tum potius tamen ista, pio cum iure licebit, 335
 cum facti causam tempusque doloris habebis,
 tum potius conata tua atque incepta referto;
 meque deosque tibi comites, mea alumna, futuros
 polliceor: nihil est, quod texuis ordine, longum.
 His ubi sollicitos animi relevaverat aestus 340
 vocibus et blanda pectus spe luserat aegrum,
 paulatim tremebunda genis obducere vestem
 virginis et placidam tenebris captare quietem
 inverso bibulum restinguens lumen olivo
 incipit ad crebrosque insani pectoris ictus 345
 ferre manum, adsiduis mulcens praecordia palmis.
 noctem illam sic maesta super morientis alumnae
 frigidulos cubito subnixa pependit ocellos.
 postera lux ubi laeta diem mortalibus alium
 et gelida venientem ignem quatiebat ab Oeta, 350
 quem pavidæ alternis fugitant optantque puellae
 (Hesperium vitant, optant ardescere Eoum),
 praeceptis paret virgo nutricis et omnes
 undique conquirunt nubendi sedula causas.
 temptantur patriae submissis vocibus aures, 355
 laudanturque bonae pacis bona: multus ineptae
 virginis insolito sermo novus errat in ore.
 nunc tremere instantis belli certamina dicit
 communemque timere deum, nunc regis amicis,
 iamque ipsi verita a se orbam flet maesta parente, 360
 cum Iove communes qui nolit habere nepotes.
 nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
 invenit et divom terret formidine cives;
 nunc alia ex aliis (nec desunt) omina quaerit.
 quin etiam castos ausa est corrumpere vates, 365
 ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
 essent qui generum Minoa auctoribus extis
 iungere et ancipites suaderent tollere pugnas.
 At nutrix, patula componens sulfura testa,

narcissum casiamque herbas contundit olentes, 370
 terque novena ligans triplici diversa colore
 fila 'ter in gremium mecum' inquit 'despue virgo,
 despue ter, virgo: numero deus impare gaudet.'
 inde mago generata Iovi Stygialia sacra,
 sacra nec Aeaeis senibus nec cognita Graiis 375
 pergit, Amyclaeo spargens altaria thallo,
 regis Iolciacis animum defigere votis.
 verum ubi nulla movet stabilem fallacia Nisum
 nec possunt homines nec possunt flectere divi
 (tanta est in parvo fiducia crine cavendi), 380
 rursus ad inceptum sociam se iungit alumnae
 purpureumque parat rursus tondere capillum,
 languenti quoniam captat succurrere amori,
 non minus illa tamen, revehi quod moenia Cressa
 gaudeat: et cineri patria est iucunda sepulto. 385

Ergo iterum capiti Scylla est inimica paterno:
 tum coma Sidonio florens deciditur ostro,
 tum capitur Megara et divom reponsa probantur,
 tum suspensa novo ritu de navibus altis
 per mare caeruleum trahitur Niseia virgo. 390
 complures illam nymphae mirantur in undis,
 miratur pater Oceanus et candida Tethys
 et cupidus secum rapiens Galatea sorores;
 illam etiam iunctis magnum quae piscibus aequor
 et glauco bipedum curru metitur equorum 395
 Leucothea parvusque dea cum matre Palaemon;
 illam etiam alternas sortiti vivere lucas,
 cara Iovis suboles, magnum Iovis incrementum,
 Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
 has adeo voces atque haec lamenta per auras 400
 fluctibus in mediis questuolvebat inani,
 ad caelum infelix ardentia lumina tendens,
 lumina, nam teneras arcebant vincula palmas:
 'supprimate o paulum turbati flamina venti,
 dum queror et divos (quamquam nil testibus illis 405
 profeci) extrema moriens tamen adloquor hora.
 vos ego, vos adeo, venti, testabor, et aurae,

vos, Pandionia siqui de gente venitis,
 cernitis: illa ego sum cognato sanguine vobis
 Scylla (quod o salva liceat te dicere Procne); 410
 illa ego sum Nisi pollentis filia quondam,
 certatim ex omni petiit quam Graecia regno,
 qua curvus terras amplectitur Hellespontus;
 illa ego sum, Minos, sacrato foedere coniunx
 dicta tibi: tamen haec, etsi non aspicias, audis. 415
 vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
 vincta tot adsiduas pendebo ex ordine lucas?
 non equidem me alio possum contendere dignam
 supplicio, quod sic patriam carosque penates
 hostibus inmitique addixi ingrata tyranno. 420
 verum istaec, Minos, illos scelerata putavi,
 si nostra ante aliquis nudasset foedera casus,
 facturos, quorum direptis moenibus urbis
 o ego crudelis flamma delubra petivi;
 te vero victore prius vel sidera cursus 425
 mutatura suos quam te mihi talia captae
 facturum metui, iam iam scelus omnia vincit.
 ten ego plus patrio dilexi perdita regno?
 ten ego? nec mirum, voltu decepta puella
 ut vidi ut perii, ut me malus abstulit error. 430
 non equidem ex isto speravi corpore posse
 tale malum nasci: forma vel sidera fallas,
 me non deliciis commovit regia dives,
 dives curalio fragili et lacrimoso electro,
 me non florentes aequali corpore nymphae, 435
 non metus incensam potuit retinere deorum
 omnia vicit amor; quid enim non vinceret ille?
 non mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
 pronuba nec castos accendet pinus honores,
 nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro. 440
 vana queror: me ne illa quidem communis alumnam
 omnibus iniecta tellus tumulabit arena.
 mene inter matres ancillarisque maritas,
 mene alias inter famularum munere fungi
 coniugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae 445

non licuit gravidos penso devolvere fusos?
 at belli saltem captivam lege necasses!
 iam fesso tandem fugiunt de corpore vires,
 et caput inflexa lentum cervice recumbit, 450
 marmorea adductis tabescunt bracchia nodis.
 aequoreae pristis, immania corpora ponti,
 undique conveniunt et glauco in gurgite circum
 verberare caudarum atque oris minitantur hiatu.
 iam tandem casus hominum, iam respice, Minos.
 sit satis hoc, tantum Scyllam vidisse malorum, 455
 vel fato fuerit nobis haec debita pestis
 vel casu incerto merita vel denique culpa:
 omnia nam potius quam te fecisse putabo.
 Labitur interea resoluta ab litore classis,
 magna repentino sinuantur linthea coro, 460
 flectitur in viridi remus sale, languida fessae
 virginis in cursu moritur querimonia longo.
 deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
 Cypselidae magni florentia regna Corinthi;
 praeterit abruptas Scironis protinus arces 465
 infestumque suis dirae testudinis exit
 spelaeum multoque cruentas hospite cautes.
 iamque adeo tutum longe Piraea cernit,
 et notas eheu frustra respectat Athenas.
 iam procul e fluctu Salamina suspicit arva 470
 florentesque videt iam Cycladas; hinc sinus illi
 Sunius, hinc statio contra patet Hermionea.
 linquitur ante alias longe gratissima Delos
 Nereidum matri et Neptuno Aegaeo.
 prospicit incinctam spumanti litore Cythnon 475
 marmoreamque Paron viridemque adlapsa Donsam
 Aeginamque simul sementiferamque Seriphum.
 fertur et incertis iactatur ad aëra ventis,
 cymba velut, magnas sequitur cum parvola classes
 Afer et hiberno bacchatur in aequore turbo, 480
 donec tale decus formae vexarier ultra
 non tulit ac miseros mutavit virginis artus
 caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.

sed tamen aeternam squamis vestire puellam
 infidosque inter teneram committere pisces 485
 non statuit (nimium est avidum pecus Amphitrites):
 aëriis potius sublimem sustulit alis,
 esset ut in terris facti de nomine ciris,
 ciris Amyclaeo formosior ansere Ledae.
 hic velut in niveo, tenera est cum primitus ovo 490
 effigies animantis et internodia membris
 imperfecta novo fluitant concreta calore:
 sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
 semiferi incertis etiam nunc partibus artus 495
 undique mutabant atque undique mutabantur.
 oris honos primum et multis optata labella
 et patulae frontis species concresecere in unum
 coepere et gracili mentum producere rostro;
 tum qua se medium capitis discrimen agebat, 500
 ecce repente velut patrios imitatus honores
 puniceam concussit apex in vertice cristam;
 at mollis varios intexens pluma colores
 marmoreum volucris vestivit tegmine corpus,
 lentaque perpetuas fuderunt bracchia pennas. 505
 inde alias partes minioque infecta rubenti
 crura nova macies obduxit squalida pelle
 et pedibus teneris unguis adfixit acutos.
 et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
 vix fuerat placida Neptuni coniuge dignum. 510
 numquam illam post haec oculi videre suorum
 purpureas flavo retinentem vertice vittas,
 non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
 nullae illam sedes: quid enim iam sedibus illi?
 quae simul ut sese cano de gurgite velox 515
 cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis
 et multum late dispersit in aequora rorem
 infelix virgo nequiquam a morte recepta
 incultum solis in rupibus exigit aevom,
 rupibus et scopulis et litoribus desertis.
 nec tamen hoc ipsum poena sine: namque deum rex, 520
 omnia qui imperio, terras mare sidera versat,

commotus talem ad superos volitare puellam,
 dum pater extinctus caeca sub nocte lateret,
 illi pro pietate sua (nam saepe nitentum
 sanguine taurorum supplex resperserat aras, 525
 saepe deum largo decorarat munere sedes)
 reddidit optatam mutato corpore vitam
 fecitque in terris haliaetos ales ut esset:
 quippe aquilis semper gaudet deus ille coruscis.
 huic vero miserae, quoniam damnata deorum 530
 iudicio patriaeque et coniugis ante fuisset,
 infesti adposuit odium crudele parentis.
 namque ut in aethereo signorum munere praestans,
 unum quem duplici stellatum sidere vidi,
 scorpios alternis clarum fugat Oriona: 535
 sic inter sese tristes haliaetos iras
 et ciris memori servant ad saecula fato.
 quacumque illa levem fugiens secat aethera pinnis,
 ecce inimicus atrox magno stridore per auras
 insequitur Nisus; qua se fert Nisus ad auras, 540
 illa levem fugiens raptim secat aethera pinnis.

COPA.

Copa Syrisca, caput Graeca redimita mitella,
 crispum sub crotalo docta movere latus,
 ebria fumosa saltat lasciva taberna,
 ad cubitum raucos excutiens calamos:
 'quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse? 5
 quam potius viduo decubuisse toro!
 sunt topia et calybae, cyathi, rosa, tibia, chordae
 et trichila umbrosis frigida arundinibus;
 est et vappa cado nuper diffusa picato, 11
 est crepitans rauco murmure rivus aquae.
 est et Maenalia quae garrit dulce sub antro
 rustica pastoris fistula more sonans. 9
 sunt et Cecropio violae de flore corollae 13
 sartaque purpurea lutea mixta rosa;

et quae virgineo libata Achelois ab amne 15
 lilia vimineis attulit in calathis.
 sunt et caseoli, quos sirpea fiscina siccat,
 sunt autumnalis cerea pruna deae; 18
 sunt et mora cruenta et lentis uva racemis 21
 et pendens iunco caeruleus cucumis
 castaneaeque nuces et suave rubentia mala; 19
 est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
 est tuguri custos, armatus falce saligna, 23
 sed non ec vasto est inguine terribilis.
 huc calybita veni: lassus iam sudat asellus; 25
 parce illi, Vestae delictum est asinus.
 nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadae,
 nunc varia in gelida saepe lacerta latet.
 si sapis, aestivo recubans te prolue vitro
 seu vis crystallo ferre novos calices. 80
 eia age pampinea fessus requiesce sub umbra
 et gravidum roseo necte caput strophio,
 formosus tenerae decerpens ora puellae.
 a pereat cui sunt prisca supercilia!
 quid cineri ingrato servas bene olentia sarta? 85
 anne coronato vis lapide ossa tegi?
 pone merum et talos. pereat qui crastina curat
 mors aurem vellens 'vivite' ait, 'venio'.

MORETUM.

Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas
 excubitorque diem cantu praedixerat ales,
 Simylus exigui cultor cum rusticus agri,
 tristia venturae metuens ieiunia lucis,
 membra levat vili sensim demissa grabato. 5
 sollicitaque manu tenebras explorat inertis
 vestigatque focum, laesus quem denique sentit.
 parvulus exusto remanebat stipite fomes
 et cinis obductae celabat lumina prunae.
 admovet his pronam submissa fronte lucernam. 10

et producit acu stuppas umore carentes
 excitat et crebris languentem flatibus ignem.
 tandem concepto tenebrae fulgore recedunt;
 oppositaque manu lumen defendit ab aura
 et reserat cellae quae pervidet ostia clavi. 15
 fusus erat terra frumenti pauper acervus:
 hinc sibi depromit quantum mensura patebat,
 quae bis in octonas excurrit pondere libras.
 Inde abit adsistitque molae parvaque tabella,
 quam fixam paries illos servabat in usus, 20
 lumina fida locat; geminos tum veste lacertos
 liberat et cinctus villosae tegmine caprae
 praeverrit cauda silices gremiumque molarum.
 advocat inde manus operi, partitus utrimque:
 laeva ministerio, dextra est intenta labori. 25
 haec rotat adsiduum gyris et concitat orbem
 (tunsa ceres silicium rapido decurrit ab ictu),
 interdum fessae succedit laeva sorori
 alternatque vices. modo rustica carmina cantat
 agrestique suum solatur voce laborem, 30
 interdum clamat Scybalen. erat unica custos,
 Afra genus, tota patriam testante figura,
 torta comam labroque tumens et fusca colore,
 pectore lata, iacens mammis, compressior albo,
 cruribus exilis, spatiosa prodiga planta. 35
 [continuis rimis calcanea scissa rigeant.]
 hanc vocat atque arsura focis inponere ligna
 imperat et flamma gelidos adolere liquores.
 Postquam implevit opus iusto versatile fine,
 transfert inde manu fusas in cribra farinas 40
 et quatit, ac remanent summo purgamina dorso
 subsidit sincera foraminibusque liquatur
 emundata ceres. levi tum protinus illam
 componit tabula, tepidas super ingerit undas;
 contrahit admixtos tum fontes atque farinas 45
 transversa duratque manu liquidoque coacto
 interdum grumos spargit sale. iamque subactum
 levat opus palmisque suum dilatat in orbem

et notat inpressis aequo discrimine quadris.
 infert inde foco (Scybale mundaverat aptum 50
 ante locum) testisque tegit, super aggerat ignes.
 dumque suas peragit Volcanus Vestaque partes,
 Simylus interea vacua non cessat in hora,
 verum aliam sibi quaerit opem, neu sola palato
 sit non grata ceres, quas iungat comparat escas. 55
 non illi suspensa focum carnaria iuxta,
 durati sale terga suis truncique, vacabant,
 traiectus medium sparto sed caseus orbem
 et vetus adstricti fascis pendebat anethi:
 ergo aliam molitur opem sibi providus herbis. 60
 Hortus erat iunctus casulae, quem vimina pauca
 et calamo rediviva levi munibat arundo,
 exiguus spatio, variis sed fertilis herbis.
 nil illi derat, quod pauperis exigit usus:
 interdum locuples a paupere plura petebat. 65
 nec sumptus erat illud opus sed recula curae.
 si quando vacuum casula pluviaeve tenebant
 festave lux, si forte labor cessabat aratri,
 horti opus illud erat, varias disponere plantas
 norat et occultae committere semina terrae 70
 vicinosque apta cura submittere rivos.
 hic olus, hic late fundentes brachia betae
 fecundusque rumex malvaeque inulaeque virebant,
 hic siser et nomen capiti debentia porra,
 [hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver] 75
 grataque nobilium requies lactuca ciborum,
 crescit quae in acumina radix
 et gravis in latum dimissa cucurbita ventrem.
 verum hic non domini (quis enim contractior illo?)
 sed populi proventus erat, nonisque diebus 80
 venales umero fasces portabat in urbem:
 inde domum cervice levis, gravis aere redibat,
 vix umquam urbani comitatus merce macelli.
 cepa rubens sectique famem domat area porri
 quaeque trahunt acri voltus nasturtia morsu 85
 intibaque et Venerem revocans cruce morantem.

Tum quoque tale aliquid meditans intraverat hortum.
 ac primum, leviter digitis tellure refossa,
 quattuor educit cum spissis alia fibris;
 inde comas apii graciles rutamque rigentem 90
 vellit et exiguo coriandra trementia filo.
 haec ubi collegit, laetum consedit ad ignem
 et clara famulam poscit mortaria voce.
 singula tum capitum nodoso cortice nudat
 et summis spoliat coriis contemptaque passim 95
 spargit humi atque abicit. servatum in germine bulbum
 tinguunt aqua lapidisque cavum dimittit in orbem.
 his salis inspergit micas, sale durus adeso
 caseus adicitur, dictas super ingerit herbas,
 et laeva vestem saetosa sub inguina fulcit: 100
 dextera pistillo primum fragrantia mollit
 alia, tum pariter mixto terit omnia suco.
 it manus in gyrum: paulatim singula vires
 deperdunt proprias; color est e pluribus unus,
 nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant, 105
 nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
 saepe viri nares acer iaculatur apertas
 spiritus et simo damnat sua prandia voltu;
 saepe manu summa lacrimantia lumina tergit
 inmeritoque furens dicit convicia fumo. 110
 procedebat opus: non iam salebrosus, ut ante,
 sed gravior lentos ibat pistillus in orbem.
 ergo Palladii guttas instillat olivi
 exiguique super vires infundit aceti
 atque iterum commiscet opus mixtumque retractat. 115
 tum demum digitis mortaria tota duobus
 circuit inque globum distantia contrahit unum,
 constet ut effecti species nomenque moreti.
 eruit interea Scybale quoque sedula panem,
 quem lautis recipit manibus, pulsoque timore 120
 iam famis inque diem securus Simylus illam
 ambit crura ocreis paribus tectusque galero
 sub iuga parentes cogit lorata iuvenco
 atque agit in segetes et terrae condit aratrum.

CATALECTA.

I.

Delia saepe tibi venit, sed, Tuca, videre
 non licet: occulitur limine clausa viri.
 Delia saepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
 si occulitur, longe est tangere quod nequeas.
 venerit: audi. sed iam mihi nuntius iste 5
 quid prodest? illi dicite, quoi rediit!

II.

Corinthiorum amator iste verborum,
 Thucydides Britannus, Atticae febris,
 tau Gallicum, min, al, sil ut male elisit,
 ita omnia ista verba miscuit fratri.

III.

Socer, beate nec tibi nec alteri,
 generque Noctuine, putidum caput,
 tuone nunc puella talis, ei tuo
 stupore pressa rus abibit? ei mihi,
 ut ille versus usquequaque pertinet 5
 gener socerque, perdidistis omnia!

III.

Superbe Noctuine, putidum caput,
 datur tibi puella, quam petis, datur;
 datur, superbe Noctuine, quam petis.
 sed, o superbe Noctuine, non vides 5
 duas habere filias Atilium,
 duas, et hanc et alteram, tibi dari.
 adeste nunc, adeste: ducit (ut decet!)
 superbus ecce Noctuinus hirneam.
 thalassio! thalassio! thalassio!

V.

lacere me, quod alta non possim, putas,
 ut ante vectari freta
 nec ferre durum frigus aut aestum pati
 neque arma victoris sequi.
 valent, valent mihi ira et anticus furor 5
 et lingua, qua dicam tibi
 per prostitutae turpe contubernium
 sororis, o quid me incitas,
 quid, inpudice et improbande Caesari?
 seu furta dicantur tua 10
 et heluato sera patrimonio
 in fratre parsimonia
 vel acta puero cum viris convivia
 udaeque per somnum nates
 et inscio repente clamatum insuper 15
 thalassio, thalassio.
 quid palluisti, femina? an ioci dolent?
 an facta cognoscis tua?
 non me vocabis spurca per Cotyttia
 ad feriatos fascinos, 20
 nec te movere lumbricos in caltula
 prensis videbo altaribus
 flavumque propter Thybrim olentes nauticum
 vocare, ubi appulsae rates
 stant in vadis caeno retentae sordido 25
 macraque luctantes aqua;
 neque in culinam et uncta compitalia
 dapesque duces sordidas
 quibus repletus ut salivosis labris
 obesam ad uxorem redis 30
 et aestuantes nocte solvis pantices,
 os usque lambis saviis.
 nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales!
 et nomen adscribo tuum.
 cinaede Luci, an te reliquerunt opes 35
 fameque genuini crepant?

videbo habentem praeter ignavos nihil
 fratres et iratum Iovem
 scissumque ventrem et herniosi patrum
 pedes inedia turgidos. 40

VI.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus,
 o Paphon, o sedes quae colis Idalias,
 Troius Aeneas Romana per oppida digno
 iam tandem ut tecum carmine vectus eat:
 non ego ture modo aut picta tua templa tabella 5
 ornabo et puris sarta feram manibus;
 corniger — haud aries humilis, sed maxima taurus
 victima sacratos sparget honore focos,
 marmoreusque tibi, dea, mille coloribus ales
 in morem picta stabit Amor pharetra. 10
 adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo
 et Surrentini litoris ora vocat.

VII.

Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae,
 inflata rore non Achaico verba;
 et vos, Stiloque Tarquitique Varroque,
 scholasticorum natio madens pingui,
 ite hinc, inane cymbalon iuventutis. 5
 tuque, o mearum cura, Sexte, curarum,
 vale, Sabine; iam valete, formosi.
 nos ad beatos vela mittimus portus,
 magni petentes docta dicta Sironis,
 vitamque ab omni vindicabimus cura. 10
 ite hinc, camenae, vos quoque ite iam, sane
 dulces camenae (nam fatebimur verum,
 dulces fuistis): et tamen meas chartas
 revisitote, sed pudenter et raro.

VIII.

Sabinus ille, quem videtis, hospites,
 ait fuisse mulio celerrimus,

neque ullius volantis impetum cisi
 nequisse praeterire, sive Mantuam
 opus foret volare sive Brixiam. 5
 et hoc negat Tryphonis aemuli domum
 negare nobilem insulamve Caeruli,
 ubi iste post Sabinus ante Quinctio
 bidente dicit attodisse forfice
 comata colla, nequod horridum iugo 10
 premente dura volnus ederet iuba.
 Cremona frigida et lutosa Gallia,
 tibi haec fuisse et esse cognitissima
 ait Sabinus: ultima ex origine
 tua stetisse dicit in voragine, 15
 tua in palude deposisse sarcinas
 et inde tot per orbitosa milia
 iugum tulisse, laeva sive dextera
 strigare mula sive utrimque cooperat,
 neque ulla vota semitalibus deis 20
 sibi esse facta praeter hoc novissimum,
 paterna lora proximumque pectinem.
 sed haec prius fuere: nunc eburnea
 sedetque sede seque dedicat tibi,
 gemelle Castor et gemelle Castoris. 25

IX.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
 dispeream, nisi me perdidit iste putus.
 sin autem praecepta vetant me dicere, sane
 non dicam, sed me perdidit iste puer.

X.

Villula, quae Sironis eras, et pauper agelle,
 verum illi domino tu quoque divitiae,
 me tibi et hos una mecum, quos semper amavi,
 siquid de patria tristius audiero,
 commendo, in primisque patrem. tu nunc eris illi 5
 Mantua quod fuerat quodque Cremona prius.

XI.

Pauca mihi, niveo sed non incognita Phoebos,
 pauca mihi doctae dicite Pegasides.
 victor adest, magni magnum decus ecce triumphi,
 victor qua terra quaque patent maria,
 horrida barbaricae portans insignia pugnae, 5
 magnus ut Oenides utque superbus Eryx,
 nec minus idcirco nostros expromere cantus
 maximus et sanctos dignus inire choros.
 hoc itaque insuetis iactor magis, optime, curis,
 quid de te possim scribere quidve tibi, 10
 namque (fatebor enim) quae maxima deterrendi
 debuit, hortandi maxima causa fuit.
 pauca tua in nostras venerunt carmina chartas,
 carmina cum lingua, tum sale Cecropio,
 carmina, quae Pylum, saeculis accepta futuris, 15
 carmina, quae Pylum vincere digna senem.
 molliter hic viridi patulae sub tegmine quercus
 Moeris pastores et Meliboeus erant,
 dulcia iactantes alterno carmina versu,
 qualia Trinacriae doctus amat iuvenis. 20
 certatim ornabant omnes heroida divi,
 certatim divae munere quaeque suo.
 felicem ante alias tanto scriptore puellam!
 altera non fama dixerit esse prior:
 non illa, Hesperidum ni munere capta fuisset 25
 quae volucrum cursu vicerat Hippomenen,
 candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
 non supero fulgens Cassiopea polo,
 non defensa diu volucrum certamine equorum,
 optabant Graiae quam sibi quaeque manus, 30
 saepe animam generi pro qua pater impius hausit,
 saepe rubro Eleis sanguine fluxit humus;
 regia non Semele, non Inachis Acrisione,
 inmitti expertae fulmine et imbre Iovem;
 non cuius ob raptum pulsi liquere penates 35
 Tarquinii patrios, filius atque pater,

illo quo primum dominatus Roma superbos
mutavit placidis tempore consulibus.
multa, neque inmeritis, donavit praemia alumnis,
praemia Messallis maxima Poplicolis. 40
nam quid ego immensi memorem studia ista laboris?
horrida quid durae tempora militiae?
castra foro solitos, urbi praeponere castra,
tam procul hoc Latio, tam procul hac patria?
inmoderata pati iam frigora iamque calores? 45
stertere vel dura posse super silice?
saepe trucem adverso perlabi sidere pontum?
saepe mare audendo vincere, saepe hiemem?
saepe etiam densos inmittere corpus in hostes
communem belli nec timuisse deum? 50
nunc celeres Afros, periuræ milia gentis,
aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem,
vincere et Oceani finibus ulterius?
non nostrum est tantas, non, inquam, attingere laudes, 55
quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est:
ipsa haec, ipsa ferent rerum monumenta per orbem,
ipsa sibi egregium facta decus parient;
nos ea quae tecum finxerunt carmina divi,
Cynthius et Musae, Bacchus et Aglæ. 60
si laudem adspirare, humilis si adire camenas,
si patrio Graios carmine adire sales
possumus, optatis plus iam procedimus ipsis:
hoc satis est; pingui nil mihi cum populo.

XII.

Aspice quem valido subnixum gloria regno
altius et caeli sedibus extulerat:
terrarum hic bello magnum concusserat orbem,
hic reges Asiae fregerat, hic populos;
hic grave servitium tibi iam, tibi, Roma, ferebat 5
(cetera namque viri cuspide conciderant),
cum subito in medio rerum certamine praiceps
corruit, e patria pulsus in exilium.

tale deae numen, tali mortalia ritu
fallax momento temporis hora ruit. 10

XIII.

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
tangere quas terras quosque videre homines,
dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
alter enim quis te dulcior esse potest,
cui iuveni ante alios divi divomque sorores 5
cuncta neque indigno, Musa, dedere bona,
cuncta quibus gaudet Phoebi chorus ipseque Phoebus?
doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
o quis te in terris loquitur iucundior uno?
Clio tam certe candida non loquitur. 10
quare illud satis est, si te permittis amari,
non contra ut sit amor mutuus inde mihi.

XIII.

Quis deus, Octavi, te nobis abstulit? an quae
dicunt, a, nimio pocula ducta mero?
'vobiscum, si est culpa, bibi: sua quemque secuntur
fata: quid inmeriti crimen habent cyathi?'
scripta quidem tua nos multum mirabimur et te 5
raptum et Romanam flebimus historiam,
sed tu nullus eris. perversi dicite manes,
hunc superesse patri quae fuit invidia?

INDEX NOMINVM.

Stellula * numero apposita significavi nomen coniectura restitutum esse: uncis [] inclusi versus interpolatos.

- A**baris (*Rutilus*). Abarim A. IX 344.
 Abas (*Troianus*) A. I 121. Abantis III 286.
 Abas (*Etruscus*) A. X 170. Abantem X 427.
 Abydos. Abydi G. I 207.
 Acamas A. II 262.
 Acarnan A. V 298.
 Acca A. XI 897. Accam XI 820. Acca XI 823.
 Acerrae. Acerris G. II 225.
 Acesta. Acestam A. V 718.
 Acestes A. I 195. 550. V 36. 61. 63. 73. 387. 418. 451. 498. 519. 630. 711. 749. 757. Acestae V 106. 301. 573. IX 218. 286. Acestae V 771. Acesten I 558. 570. V 30. 531. 540. 746.
 Achaemenides A. III 614. 691.
 Achaico rore Cat. VII 2. Achaica manus A. V 623. Achaica castra II 462.
 Achates (*Troianus*) A. I 174. 188. 513. 579. 581. 656. III 523. VI 34. 158. VIII 466. 521. 586. XII 384. 459. Achatae X 344.
 Achati I 120. Achaten I 644. X 332. Achate I 459. Achate I 312. 696.
 Acheloa pocula G. I 9.
- Achelois Cop. 15.
 Acheron. Acherontis G. II 492 A. VI 295. Acheronta VII 91. 312. Acheronte V 99. VI 107. VII 569. XI 23.
 Achilles E. IV 36. A. I 468. 484. 752. II 29. 197. 540. V 804. VI 89. 168. XI 404. XII 545.
 Achillei G. III 91. Achilli A. I 30. II 275. III 87. VI 839.
 Achillis II 476. X 581. XII 352.
 Achilli I 475. Achillem I 458. IX 742. XI 438. Achilleae stirpis III 326.
 Achivi A. II 45. Achivom II 318. XI 266. Achivis I 242. 488. II 60. X 89. Achivos II 102. V 497. Achivis VI 837.
 Acidaliae matris A. I 720.
 Acmon (*Troianus*) A. X 128.
 Acoetes (*Arcas*) A. XI 30. 85.
 Aconteus (*Latinus*) A. XI 612. 615.
 Acragans A. III 703.
 Acrisione Cat. XI 33.
 Acrisioneis colonis A. VII 410.
 Acrisius A. VII 372.
 Aeron A. X 719. 730.
 Actaeo Aracintho E. II 24. Actaeos colles Cir. 102.
 Actias Orithyia G. IV 463.

- Actius Apollo A. VIII 704. Actia bella VIII 675. litora III 280.
 Actor (*Troianus*) A. IX 500.
 Actor (*Auruncus*) A. XII 96. Actoris XII 94.
 Adamastus. Adamasto A. III 614.
 Admetus. Admeti Cul. 264.
 Adonis E. X 18.
 Adrastea Cir. 239.
 Adrastus. Adrasti A. VI 480.
 Aeacides Cul. 297. 322. Aeacidae A. I 99. VI 58. Aeaciden VI 839. Aeacidae Pyrrhi III 296.
 Aeaeae Circae A. III 386. Aeaeis senibus Cir. 375.*
 Aegaeon A. X 565.
 Aegaeo (mari) A. XII 366. Aegaeo Neptuno III 74 Cir. 474. Aegaea litora Cul. 355.
 Aegina. Aeginam Cir. 477.
 Aegle E. VI 20. 21.
 Aegon E. III 2. V 72. Aegonis III 2.
 Aegyptus G. IV 210. Aegyptus A. VIII 705. Aegyptum G. IV 291. A. VIII 687. Aegyptia coniunx VIII 688.
 Aeneas (*Troianus*) A. I 170. 180. 220. 231. 305. 378. 421. 438. 451. 509. 544. 576. 580. 538. 596. 617. 643. 667. 699. II 2. III 288. 343. 716. IV 117. 142. 150. 279. 329. 393. 466. 554. 571. V 1. 26. 44. 90. 129. 232. 286. 303. 348. 461. 485. 531. 545. 675. 685. 700. 741. 755. 770. VI 9. 103. 156. 176. 183. 210. 232. 250. 291. 317. 403. 424. 467. 475. 548. 559. 635. 703. 711. 860. VII 5. 29. 107. 221. 263. VIII 29. 84. 115. 126. 152. 182. 311. 465. 521. 586. 606. IX 8. 41. 81. 97. 172. 255. X. 25. 43. 85. 147. 159. 217. 287. 311. 332. 530. 569. 578. 591. 599. 661. 769. 783. 787. 802. 809. 816. 826. 874. 896. XI 2. 36. 73. 95. 106. 120. 170. 184. 442. 446. 511. 904. 908. XII 108. 166. 175. 195. 311. 399. 440. 481. 491. 505. 526. 580. 628. 654. 697. 723. 746. 760. 783. 887. 919. 939. Cat. VI 3. Aeneae A. I 128. 675. 709. 715. III 97. V 804. 829. VII 234. VIII 380. 463. IX 448. 787. X 637. 656. 776. 798. 830. 863. XI 289. XII 323. 772. Aeneae I 92. 494. V 381. 418. VI 169. VII 280. VIII 552. IX 177. 228. X 511. XII 554. 678. Aenean I 260. 581. 631. IV. 74. 191. 214. 260. 304. V 708. 809. 850. VI 40. 413. 685. VII 288. VIII 11. 67. 73. 178. 308. 367. IX 192. 204. 241. X 65. 81. 165. 313. 343. 647. 873. XI 232. 282. 472. 910. XII 63. 324. 384. [613] 794. Aenea III 41. V 17. VI 52. 261. 539. VIII. 496. X 229. 649. XII 197. 428. Aenea VII 310. XII 540.
 Aeneadae A. I 157. VII 284. 334. VIII 648. IX 468. 735. XII 12. 186. 779. Aeneadum I 565. IX 180. X 120. XI 503. Aeneadis VII 616. Aeneadas III 13. V 108. VIII 341. Aeneadae IX 235.
 Aeneia nutrix A. VII 1. puppis X 156. Aeneia hospitia X 494.
